DE LOCIS THEOLOGICIS

AUCTORE

BENEDICTO STATTLER

SS. THEOL. PROF. ORD. ANGLIPOLITANO

ET

ELECTORALIS BOICAE ACADEMIAE MONACENSIS

SOCIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE NAPOLI

TYPIS MEYERIANIS WEISSENBURGI.

1775.

Digitized by Google



CONSPECTUS OPERIS.

DE

LOCIS THEOLOGICIS.

CAPUT I.

DE SACRIS SCRIPTURIS.

ARTIC. I. *An ſcripturæ, quas Chriſtiani ſacras vocant, ſint divinitus ſcriptæ.*

§. I. *Principia prævia.*

§. II. *Argumenta varia Scripturæ totius divinitatem probantia examinantur.*

§. III. *Argumentum unicum decretorium eſſe Eccleſiæ concors ſententia oſtenditur.*

§. IV. *De qualitate et gradu influxus immediati divinæ auctoritatis in SS. ſcripturas: ex quo plane oſtenditur, SS. ſcripturas non poſſe unicam ſufficientem fidei regulam conficere.*

ARTIC. II. *De canone divinarum ſcripturarum.*

ARTIC. III. *De Authentia Editionis Vulgatæ, et uſu ſcripturæ Autographæ.*

ARTIC. IV. *De ſenſu ſcripturarum vario, ejusdemque rite diſcernendi regulis.*

ARTIC. V. *Quid de fide & ſalute eorum Acatho-*

licorum ſperari poſſit, qui S. ſcripturam pro unica fidei regula ſtatuunt.

CAPUT II.
DE TRADITIONIBUS.

CAPUT III.
DE AUCTORITATE ECCLESIAE CHRISTI.

ARTIC. I. *De auctoritate Eccleſiæ Chriſti in rebus fidei.*

II. *De auctoritate Eccleſiæ Chriſti in declaranda orthodoxia, vel heterodoxia textuum.*

III. *De auctoritate Eccleſiæ erroris experte in propriis præceptis morum.*

IV. *De Eccleſiæ Chriſti indefectibilitate, et infallibilitate paſſiva.*

V. *De membris veræ Eccleſiæ Chriſti.*

VI. *De notis ſeu characteribus propriis veræ Chriſti Eccleſiæ.*

CAPUT IV.
DE AUCTORITATE ROMANORUM PONTIFICUM, ET CONCILIORUM ECCLESIAE CHRISTI.

CAPUT V.
DE AUCTORITATE SANCTORUM PATRUM.

CAPUT VI.
DE USU RATIONIS, SEU METAPHYSICAE, BONAE LOGICAE, ET CRITICES IN THEOLOGIA CHRISTIANA.

PRAE-

PRAEFATIO.

Cum pridem conſilium ceperim integram Theologiam, ad melioris, qualem modo DEO acceptam referimus, Metaphyſicæ conceptus, & Logicæ regulas exactam, DEO inprimis juvante, conſcribere: poſt editum jam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, divina Chriſti lege inſtitutæ, ſyſtema, naturali id ipſo ordine exigente, tractationem DE LOCIS THEOLOGICIS ſubjungo, ceu mera corollaria pæne (ſi argumentum de SS. ſcripturis excipias) illius ſyſtematis complectentem; ſimul vero ce-

ceteris Theologiæ tractatibus vim argumentorum omnem, ceu ſacri belli nervum & arma, præparantem. Faxit DEUS, ut in argumento graviſſimo tuum, amice Lector, deſiderium & expectationem impleam; publicæque utilitati tantum reipſa proſit hoc opuſculum; quantum id exoptare ingenuum ſcriptorem, Eccleſiæ Chriſti, Patriæ, & bonorum omnium longe amantiſſimum, decet.

DE
LOCIS THEOLOGICIS.

I.

T*heologia* univerſe eſt ſcientia eorum, quæ in DEO inſunt, & quæ ſummæ æternæque beatitatis noſtræ, ceu finis ultimi, cauſſa a DEO facta ſunt, & porro DEO adjuvante a nobis ad eundem finem actu conſequendum fieri poſſunt, ac debent. *Brevius:* Theologia eſt ſcientia univerſæ religionis. Vide Demonſtr. Evang. §. 25. ſeqq.

2.

Theologia naturalis eſt, quæ per vires rationis naturalis obtineri ſimpliciter poteſt; *ſupernaturalis*, quæ non obtinetur niſi per vires natura altiores. Religionis naturalis notitia certa ſi altiore DEI magiſterio, non naturæ viribus, obtineatur; etſi etiam per naturæ vires abſolute obtineri poſſet, *Theologia quoad modum ſupernaturalis* dicetur. Ea vero religionis alicujus ſcientia, quæ abſolute comparari per vires naturæ humanæ non poteſt, *Theologia quoad ſubſtantiam ſupernaturalis appellatur.*

* Oſtendi in Demonſt. Evang. §. 48. & toto Cap. II., *moraliter* (non tamen phyſice) fieri non poſſe, ut ſine reve-

latione divina neceſſariam religionis etiam mere naturalis notitiam acquiramus.

3.

Dividitur utraque theologia, naturalis, & ſupernaturalis, in *Theoreticam* & *Practicam.* *Theoretica Theologia* eſt illa, quæ veritates theologicas docet, quæ nec immediate enuntiant, quid in rebus morum deceat agere, vel omittere, nec aliter niſi remote in mores influunt. *Practica theologia* eſt, quæ tum ipſas morum regulas, tum veritates in mores propius influentes, docet (Vide Dem. Ev. §. 26). Utraque *Chriſtiana Theologia*, ſive *Theologia fidei Chriſtianæ*, appellatur; quatenus eam Chriſti DEI Hominis revelatione & magiſterio, utique ſupernaturali, accepimus; id quod in toto opere Demonſtrationis Evangelicæ demonſtravi.

* *Theoreticam* Theologiam eam ipſam appello, quam alias *ſpeculatricem* appellabant; *Practicam* quoque vulgo *Moralem*, ſeu Ethicam, appellant.

4.

Veritas fidei divinæ eſt, quam DEUS locutione ſua revelavit. *Dogma fidei divinæ Chriſtianum* appellatur veritas fidei divinæ, a Chriſto revelata, & Eccleſiæ judicio publico pro tali promulgata. Oſtenſum enim a me in Demonſtratione Catholica eſt §. 207., competere hanc authenticæ promulgationis poteſtatem Eccleſiæ a Chriſto inſtitutæ. Dogmata Chriſtiana præcipua, omnibus virtute legis divinæ ſcitu neceſſaria, & diſtincte credenda, *articuli fidei* vocantur; quorum brevis complexus *ſymboli* nomine venit. Dogmatum fidei divinæ Chriſtianorum certa notitia proprio nomine *Theologiæ Dogmaticæ* compellatur.

5.

I. *Theologia Chriſtiana paullo latius patere poteſt;*

teſt; quam Dogmatica. Poſſunt enim eſſe quædam veritates theologicæ, a Chriſto revera revelatæ, ac proinde theologiæ Chriſtianæ ſupernaturali propriæ, quæ tamen nullo adhuc publico Eccleſiæ judicio promulgatæ ſunt.

II. *Theologia dogmatica æque ac omnis Chriſtiana Theologia, qua talis, non veritatum ipſarum a Chriſto revelatarum, ſed revelationis ſolum a Chriſto DEO Homine circa eas certo factæ, vera ſcientia eſt.* Scientia enim ipſius veritatis revelatæ diſtinctum intuitum rationum ejus ſufficientium, qui evidentiæ proprius eſt, importat; quique abeſſe poteſt, & ut plurimum ſolet; etſi certa ſit DEI revelatio. Quodſi tamen *certitudo* factæ revelationis demonſtretur; vera ſcientia, id eſt, *evidentia certitudinis*, de hoc facto habebitur. Poſſe autem hanc certitudinem demonſtrari, facto ipſo contra Theiſtas oſtendi de univerſa divina revelatione Chriſtianæ religionis in Demonſtratione Evangelica.

III. *Theologia ergo tam chriſtiana univerſe, quam Dogmatica ſingillatim, qua talis, auctoritatis tum divinæ, tum humanæ Eccleſiaſticæ, evidenter certis teſtimoniis in probatione veritatum fidei divinæ atque dogmatum chriſtianorum nititur.* Probantur enim iſta, & cognoſcuntur, non ex rationibus intrinſecis ſufficientibus, ſed ex Chriſti DEI Hominis divino teſtimonio, & hujus certitudo oſtenditur ex teſtimonio Eccleſiæ, et hominum aliorum, quorum certa eſſe teſtimonii auctoritas itidem hac in parte oſtenditur.

IV. *Theologia Chriſtiana & Dogmatica a priori Theologiæ naturalis certam ſaltem ex communi ſenſu naturæ notitiam ſupponit.* Ut enim certum habere poſſim, DEUM aliquid revelaſſe; certus ſaltem eſſe debeo, DEUM exiſtere, eſſe omniſcium, ſum-

me veracem, omnis mundi auctorem omnipotentem, ſumme bonum, providum, & juſtum &c.

6.

Nihil obſtat, quo minus multa dogmata & veritates fidei a Chriſto certo revelatæ etiam ratione mere naturali evidenter demonſtrari poſſint. Oſtenſum enim eſt in Demonſtrat. Evangel. §§. 48. 89., primum Chriſti Divini Magiſtri religionis Chriſtianæ officium fuiſſe, ut nos ipſas veritates atque regulas religionis etiam per ſe mere naturalis edoceret; eo quod, etſi vires rationis humanæ abſolute etiam ſe ſolis ſufficere poſſent ad eas non ſolum cum certitudine cognoſcendas ope ſenſus communis naturæ, ſed etiam cum vera evidentia demonſtrandas; tamen id ipſum plerisque & multo potiſſimæ hominum parti foret moraliter impoſſibile. Multo vero amplius illæ veritates religionis mere naturalis nunc etiam demonſtrari poſſunt; poſtquam prælucente nobis pridem multo faciliori divinæ revelationis luce, & earum veritate aliunde jam nobis perſpecta, tot ſeculis humana ratio etiam inveniendis earum rationibus ſufficientibus intrinſecis totum ſuum acumen intendit. Denique fieri id poſſe facti evidentia evincit tum in theologia naturali, tum in Ethica chriſtiana univerſali, a me antehac conſcriptis.

7.

Ex ipſis dogmatis & fidei divinæ veritatibus, ceu præmiſſis evidenter certo revelatis (5. II.), legitima illatione concluſiones inferri poſſunt, ad theologiam ſeu religionis ſcientiam, ſpectantes, & uſum aliquem non levis momenti habentes.

8.

Theologiæ diſciplina illa, quæ tum dogmata Chriſtiana

ſtiana & veritates fidei divinæ qua tales ex auctoritatis divinæ & humanæ Eccleſiaſticæ teſtimoniis evidenter certis probat; tum easdem, ubi fieri poteſt, naturali ex ratione oſtendit, atque explicat; ac denique ex eis concluſiones alias theologicas legitima illatione deducit, vulgo ab uſu, * quem in ſcholis Chriſtianis pridem obtinuit, *ſcholaſtica theologia* appellatur.

* Pridem, antequam ſcholæ theologicæ in occidente primum introducerentur (quod duodecimo primum ſeculo præeunte Petro Lombardo Pariſiis factum) ea ipſa diſciplina, quam nunc *theologiam ſcholaſticam* dicimus, a SS. Patribus in ſcriptis publicis paſſim exculta, & in *ſcholis chriſtianis* (ita tunc vocabantur) tum Alexandriæ, tum alibi, a delectis eximiis Magiſtris jam inde a primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis tradita eſt. Nullus eſt Patrum, qui non argumenta a ratione petita paſſim argumentis ab auctoritate petitis in probatione dogmatum etiam graviſſimorum fidei miſceat; & nemo pæne in hoc frequentior S. *Auguſtino,* maxime tunc, cum homines ex hæreticis magis philoſophos refutat, puta Manichæos & Arianos. *Clemens Alexandrinus* in omnibus pæne ſcriptis ſuis, *Origenes* contra *Celſum* & in libris Periarchon, S. *Gregorius Nazianzenus* contra *Julianum* ſcribens toti pæne philoſophi ſunt. Patres primi plerique philoſophiæ Platonicæ addicti fuiſſe ex propriis ſcriptis theologicis cognoſcuntur. Sed fatendum, poſtquam non ſolo doctoris ſermone, ſed diſputationibus etiam publicis admixtis, in ſcholis theologicis tradita hæc diſciplina eſt inde a ſeculo duodecimo, abuſus multos in eam irrepſiſſe, non utique vitio diſciplinæ per ſe optimæ, ſed humanæ imbecillitatis, inprimis autem melioris Logicæ & Metaphyſices defectu; quibus cultus immodicus Topices & Sophiſtices Ariſtotelis ſane quam multis ſeculis ad noſtra uſque tempora obſtabat. Sed quid denique rationi & philoſophiæ in ſcholaſtica meliore theologia utiliter tribuendum ſit, infra diſtinctis evidentibusque

que regulis demonſtrabo; cum locum theologicum *de ratione naturali*, ejusque in theologia uſum explanabo.

9.

Principia cognoſcendi communia, ex quibus omnes, vel pleræque, veritates cujusque Theologiæ proxime probantur, *loci theologici* appellantur. *I. Theologiæ Chriſtianæ fidei qua talis veritates & dogmata non niſi locis theologicis ab auctoritate, divina. vel humana, petitis probari poſſunt* (5. III). *II. Theologiæ vero ſcholaſticæ poſitiones etiam rationis naturalis principia & demonſtrationes admittunt*. (6. 7. 8.)

* Ad *locos theologicos chriſtianæ theologiæ* qua talis *ſcriptura divina*, *traditio* viva voce conſervata, *Eccleſiæ auctoritas*, ſive per *Romanos Pontifices ſolos*, ceu capita & prima unitatis fidei fundamenta, ſive *per concilia Epiſcoporum* ſeſe exerens, *SS. Patrum* denique & *Theologorum* veræ chriſtianæ Eccleſiæ conſenſus, pertinent. *Ratio naturalis* denique *theologiæ ſcholaſticæ proprius locus theologicus eſt*. Hunc locum theologicum, ac proin ipſam theologiæ ſcholaſticæ ſapientem culturam doctiſſimi quique ex theologis Proteſtantium adeo non rejiciunt, ut pæne præ ipſis catholicis diligentius, nec ſine gravi emolumento, excolant: quippe ex quo una illa ſecuriſſima ſpes ſupereſt, ut, ſi concordiam Theologiæ totius catholicæ cum ipſis evidentibus rationis principiis, id eſt, fidei cum ratione, denique integre perſpexerint, ad unitatem fidei quoque aliquando nobiscum redeant.

CA-

CAPUT I.
DE SACRIS SCRIPTURIS.
ARTICULUS I.
AN SCRIPTURAE, QUAS CHRISTIANI SACRAS VOCANT, SINT DIVINITUS SCRIPTAE.

§. I. *Principia prava.*

10.

Scripturæ, quas Chriſtiani ſacras appellant, ex dictis in Dem. Evang. habendæ ſunt veluti pro tabulario publico ſumme authentico, & ſumma ſaltem fide humana certo; ſeu cum facta referunt, ſeu prophetias veterum Prophetarum publice editas, ſeu facta, doctrinam, ac proprios ſermones Chriſti Domini. Iſtud enim univerſæ chriſtianæ gentis nomine oſtenſum a me eſt loc. cit. toto Cap. VII. & VIII. contra Theiſtas.

11.

Scriptores ſacri novi teſtamenti, tum qui Apoſtoli fuere, tum ceteri non Apoſtoli, cum ipſas doctrinas & ſermones, inſtructionesque Chriſti Domini, approbante S. Petro, ceu capite Eccleſiæ, ac ceteris Apoſtolis, ſcripſere, & ſcriptos publice propoſuere, nec falli in his errore fidei aut morum, nec fallere fideles chriſtianos potuere, ob certam S. Spiritus aſſiſtentiam, quam vel ipſi ſcriptores in ſcribendo, vel S. Petrus, & ceteri Apoſtoli in approbandis illis ſcripturæ partibus tanquam divinitus conteſtatis, habuere: id quod in Dem. Cathol. §. 119. oſtendi; quin di-

divinitus iſtas omnes ſcripturas exaratas fuiſſe ſupponerem?

12.

Itaque I. *doctrinæ Chriſti & Prophetiæ, quæ in ſacris ſcripturis referuntur, divinam auctoritatem & originem habere, & certa fide a nobis credi, ac haberi pro talibus poſſent; etſi ſcriptæ non eſſent divinitus, nec pro talibus agnoſcerentur.*

II. *Divinitas religionis Chriſtianæ totius in cumulo acceptæ & illius divinitatis certa cognitio, non dependet a divinitate & certa cognitione divinitatis, ſeu immediatæ divinæ originis, ſcripturarum.*

III. *De ipſa auctoritate Eccleſiæ infallibili in doctrina fidei & morum, ac de tota lege fundamentali regiminis Eccleſiæ certi ſumus fide divina; etſi nondum perſpexerimus certam divinitatem ſcripturarum.* Nuſquam enim hoc poſterius dogma pro principio aſſumſi in omni Demonſtratione catholica; cum regimen Eccleſiæ a Chriſto inſtitutum explicarem.

13.

Uti locutio viva voce facta ſignificatio conceptuum mentis & rerum conceptibus illis ſubſtantium eſt per voces ore articulatim prolatas; ita ſcriptio ſeu *ſcriptura* locutio eſt ſcriptis vocibus facta, ſeu ſignificatio conceptuum mentis per voces ſcriptas. Unde *ſcriptura divina* eſt locutio ſcripta, per quam DEUS ipſe, ceu illius auctor, intendit homini ſignificari ſuos conceptus.

14.

Porro autem poteſt DEUS duplici modo eſſe auctor ſcripturæ alicujus, ſicuti & locutionis; *primo* immediate, nimirum ſi ejus exiſtentiam ſic determi-

minet, ut illa immediate ſignificet atque exprimat conceptus ipſius DEI; & tunc ipſe *DEUS ſcribere & loqui per ſcripturam* dicitur, talisque *ſcriptura immediate divina* appellari poteſt: ſive jam DEUS immediate literas & voces ſcripturæ talis itidem ipſe efformet, ſive homine ut inſtrumento utatur, ſeu mere phyſico, movendo ejus manum nulla libertate ei relicta, ſeu mere morali, ſcriptionem vel de verbo ad verbum imperando & *dictando;* uti cum princeps ipſe ſcribæ ſuo propriam ſuam locutionem & decretum dictat; vel ſaltem res ſuo nomine, ſeu ſuis conceptibus expreſſas, ſingillatim ſcribendas deſignat, tumque ſcriptum revidet, an rite omnia ad mentem ſuam expreſſa fuerint; etſi forte modum & formam ſcribendi easdem ſtylumque ſcribæ dexteritati & arbitrio relinquat. *Secundo* poteſt DEUS eſſe auctor alicujus ſcripturæ ſolum mediate, quatenus alterius immediate ſcribentis conceptus ſic determinat, ut ſint ſuis divinis conceptibus conformes, tum vero ejus voluntatem moveat, ut eosdem ſcripto exprimat: qualis *ſcriptura mediate divina* recte vocari, DEUSque ipſe *ſcribere & loqui per alium ſcriptorem*, vel *alii ſcribere auctore DEO*, dici poterunt.

15.

Rurſus vero *in alterius ſcribentis conceptus, voluntatem ſcribendi, & ſcripturam ipſam, influere DEUS diverſo modo poteſt.*

Diſtinguenda enim in ſcriptione, ceu actione valde compoſita, 1) *cognitio veritatis*, 2) *voluntas* eam *ſcribendi*, 3) *verba*, quibus concipitur ejusdem ſcriptio, 4) *ordo rerum*, 5) *ordo verborum*, ſeu ſtilus ſermonis. Itaque 1) *in cognitionem alterius ſcribentis DEUS influere poteſt*, ſeu antea, ſeu in actuali ſcriptione, *veritates* omnes, aut non omnes,

mnes, de novo *revelando*, aut jam alioquin cognitas *ſuggerendo*, vel ſolum cavendo, *& dirigendo*, ne in eis e propria memoria enarrandis erret: item veritatum *declarationem*, *applicationem*, *argumenta*, *cognitionis* denique ipſius *diſtinctionem*, *vivacitatem*, *nobilitatem expreſſionis ſuggerendo &c.* 2) *In voluntatem ſcribentis influere DEUS poteſt eam inſpirando*, ſeu per imperium, internum, aut externum, ſeu alia motiva, ex. gr. utilitatem ſupernaturali actione ſua ſuggerendo. 3) *In verba* influere poteſt tum ratione idiomatis, etiam ſcribenti ignotum ſuggerendo, tum ratione delectus verborum ex ſynonimis, propriorum, vel impropriorum. 4) *In ordinem rerum*, determinando naturalem ordinem phantaſiæ, vel rationalem. 5) *In ordinem verborum* ratione formæ proſaicæ, aut metricæ, epiſtolaris, hiſtoricæ, vel oratoriæ; item ratione dictionis, ſtili, conſtructionis grammaticæ &c. 6) Denique *hæc ſingula mixto modo* ad exiſtentiam determinari poſſunt, videlicet *partim* relicto curſu *naturali* actioni hominis ſcribentis, *partim* vero accedente *ſupernaturali* divino influxu, ut hoc modo potius fiat quodvis quam alio. Sic *cognitio* exiſtet mixto modo, ſi DEUS, relicto curſu naturalis cogitationis ſolum impediat, ne quid falſi irrepat; ſi delectum rerum determinet; ſi attentionem & acumen excitet, et incitet ad naturalem uſum optimum; ſi illuſtret; ſi defectus præciſe ſuppleat &c. *Voluntas* mixto modo aget, ſi partim occaſione naturali, partim divina accedente inſpiratione, moveatur. Idem eſt de *verbis*, ac de *rerum* & *verborum ordine*.

16.

Ex his *quinque* veluti *gradus influxus divini in ſcripturam hominis* diſtingui poſſunt; 1) ſi omnia ſupernaturali præciſe modo fiant: 2) ſi unum vel al-

alterum tantum ſupernaturali, reliqua mixto modo: 3) ſi omnia mixto modo; 4) ſi aliqua tantum naturali, reliqua modo mixto fiant. 5) Si fiant omnia naturali modo; ſed DEUS poſtea, ſeu immediate per ſe, ſeu mediate per alium, ſuo influxu a ſe directum, vera eſſe teſtetur, quæ ſcripta fuere.

17.

Quilibet gradus immediati influxus auctoritatis divinæ ex prædictis §. *præc. ſcripturæ tribuit auctoritatem divinam; modo DEUS impediat, ne quid falſi eidem immiſceatur, idque ipſum ſatis conſtet; vel certe poſtea auctoritatem ſuam ſcripto applicet mediate, vel immediate, teſtando, illud eſſe ab omni falſitate immune.* DEI auctoritas enim infinita ac ſemper eadem ratio ſufficiens excluſi erroris eſt: talique ſcripturæ in omni prædicto caſu eadem reverentia, aſſenſus idem, & obedientia debetur propter DEI veracitatem infinitam illi applicatam, ſive in ratione cauſſæ efficientis, ſive in ratione teſtimonii ſupervenientis eidem jam exiſtenti aliunde.

18.

Nihilominus ſcriptura, quæ modo mere naturali tota exiſtit (16. n. 5.) *& cui ſolum conſequenter applicatur approbatio divinæ auctoritatis, immediata, vel mediata, proprie divina ſcriptura non eſt* (13). 2) Ad *ſcripturam divinam proprie talem requiritur, ut voluntas hæc ipſa ſcribendi ſit inſpirata a DEO, & intellectus cognitio dirigatur, ne erret* (14. n. 2. 15. n. 2.) Vide §. 13. Niſi enim ſenſus ſcripturæ inſpiratione divina ſit exiſtentiam ſortitus, ſed ſola voluntate humana ipſius ſcriptoris; etſi DEUS errorem omnem impediat, non erit poſitive a DEO intenta ſenſus ejusdem ſcriptio; ſed ſolum ſuppoſita ſcriptione, voluntate humana ſuſcepta, ſenſus ve-

ri (mere humani) expreſſio, & impeditio falſi, a DEO intendetur. 3) *Unde rurſus alia eſſe poteſt ſcriptura divina divinos ſenſus exprimens, alia exprimens ſenſus mere humanos.* Ad poſteriorem ſufficiet directio divina intellectus ſcribentis hominis, ſine inſpiratione; ad priorem, ceu magis proprie divinam, etiam inſpiratio voluntatis, hæc talia determinate ſcriptione exprimendi, ſaltem materialis, requiritur. Dico: *materialis* ſaltem *voluntatis* talia ſcribendi inſpirationem divinam requiri: nec enim opus eſt, ut ſcribens ſemper totum id intelligat, quod inſpirante DEO ſcribendo reipſa exprimit; nec adeo ut formaliter, ſeu expreſſe velit ea exprimere, quæ intendit exprimi DEUS inſpirans. Certe hoc modo adhuc DEUS vere per alium, proprio licet nomine loquentem, ſua ſenſa loquetur, & ſcribi curabit; & *ſcriptura* proprie adhuc erit *Verbum DEI.*

§. II. *Argumenta varia ſcripturæ totius Divinitatem probantia examinantur.*

19.

Influxus auctoritatis divinæ in ſcripturam aliquam eſt factum. Ergo *poteſt probari.* 1) *vel a priori* ſaltem ex parte ex. gr. ex divinis perfectionibus & neceſſitate talis facti ſuppoſita inſtitutione religionis Chriſtianæ a Chriſto factæ; 2) *vel a poſteriori* ex ipſa indole & ratione intrinſeca totius ſcriptionis; eo quod iſta talis ſit, quæ vires naturæ per ſe excedat, nec niſi DEI immediato aliquo concurſu exarari potuerit; 3) *vel teſtimoniis*, iisque *ſeu auctoritatis immediate divinæ*, ex. gr. per miracula, aut verba ipſius Chriſti id atteſtantis; 4) *ſeu auctoritatis meræ humanæ* ſatis certæ teſtium immediatorum, nempe ipſorum ſcriptorum, qui DEI revelationem

vel

vel influxum ſenſatione intima, vel externa, ipſi experti ſint, & certo diſcrevere, idque ipſum teſtentur; 5) vel denique *ex declaratione auctoritatis partim humanæ partim divinæ*, qualis eſt declaratio ſeu judicium Eccleſiæ, id aſſiſtente ſpiritu ſancto declarantis.

* Varii ex DD. Proteſtantibus Doctores theologi varie primis quatuor ex his probandi modis ad evincendam Scripturæ Sacræ divinitatem utuntur. Videndum porro, an bene.

20.

Probant divinitatem ſcripturæ integræ 1) *a priori hoc modo.* DEUS, qui totam doctrinam religionis Chriſtianæ primitus revelatione ſupernaturali nobis revelavit; veriſimillime ex conſilio ejusdem ſuæ ſapientiæ pro conſervando etiam deinceps in perpetuum hoc pretioſo depoſito ſupernaturali quodam modo quidquam operatus eſt, videlicet procurando ejus conſignationem per literas, & omne falſum ab his ſuo immediato influxu excludendo. *Reſpondeo* vero 1) hoc argumentum ad ſummum probaturum, quod ſcriptores ſacros DEUS ipſe direxerit *in dogmatis a Chriſto revelatis* veraciter deſcribendis; quin integer contextus divinitus ſcriptus eſſe ſupponi debeat; uti *decreta Conciliorum* de fide divina eſſe poſſunt; quin *argumenta* omnia ſint divinæ fidei, quibus dogmata, per decreta declarata, a Patribus Concilii cujusque probantur. 2) ſed ne hoc quidem *determinate* probat argumentum allatum; ſed ſolum *indeterminate* evincit, moraliter neceſſarium fuiſſe, ut Chriſtus de *aliquo* ſufficiente medio conſervandæ in perpetuum tempus ſua in Eccleſia doctrinæ a ſe ſemel traditæ, & unitatis fidei, provideret. Atqui ſatis providit hac in parte, ſi rectores Eccleſiæ perpetuos inſtituit, & auctoritate infallibili (promiſſo vi-

videlicet divinæ ſuæ veracitatis in eorum oracula influxu) inſignivit; vi cujus ipſi, *ſeu ſcripto*, *ſeu viva voce*, docerent, quæ ipſe ſemel tradidiſſet, in ipſis dogmatis iſtis, & quæ cum his arctius connexa eſſent, errare non poſſent. Hoc poſito *Apoſtolorum Scripturæ* auctoritatem divinam habebunt, quoad dogmata a Chriſto tradita, vel cum his proximo & neceſſario nexu conjuncta, proponunt; non item quoad reliquas narrationes hiſtoricas, quas ſuo unius nomine præterea ſcribunt. *SS. Lucæ & Marci Evangelia*, cum ipſi Apoſtoli non fuerint, ex approbatione Apoſtolorum, cum S. Petro in illis publice pro regula proponendis conſentientium, ſimilem prorſus nanciſcentur auctoritatem cum ceteris, quin ſint ſcripturæ proprie divinæ (18). De *veteris teſtamenti Scripturis* ut plurimum vel minus adhuc, vel certe non plus idem argumentum a priori evincet. Suppono autem, ſaltem Apoſtolos *ſingulos* habuiſſe donum falli neſciæ doctrinæ: ſecus nec Matthæi, nec Joannis Evangeliſtæ, nec S. Pauli ſcripta, aliter quam accedente approbatione S. Petri, ceu fundamenti ultimi Eccleſiæ, haberent auctoritatem divinam etiam in dogmatis, nec eſſent ſcripturæ proprie divinæ (NB.) *vi hujus præciſe argumenti quaſi a priori petiti;* niſi inſuper probetur *inſpiratio* ad hæc determinate ſcribendum in ſingulis illorum ſcriptis (18. n. 2.): ſecus enim Apoſtoli, quæ *divinitus cognoſcebant*, mere *humanitus ſcribere* potuiſſent. Itaque *ſcripturarum integrarum divinitas a priori non probatur.*

21.

Probant divinitatem Scripturæ integræ 2.) *a poſteriori*, nempe *ex notis intrinſecis Scripturæ*, quam ſacram nos omnes Chriſtiani appellamus, *ceu effectus*, *arguendo cauſſam divinam.* Sunt autem notæ iſtæ ſequentes 1) *vel in voluntate* ſcribentium, ſi

con-

conſilium & intentio ſe prodat in illis altius, magisque amplum & complicatum, quam cadere in perſonæ ſcribentis conditionem poſſit: 2) *vel in intellectu ratione cognitionum:* ſi res tales ſcribat, quæ vel omnem humanam ſcientiam ſuperent, uti prophetiæ, vel ſcientiam & acumen hujus perſonæ ſcribentis: 3) *vel circa verba*, ſi in idiomate ſibi ignoto, vel in lingua ſibi familiari peritius ſcribat, quam naturalis ejus peritia ferat: 4) *vel circa ordinem verborum & rerum;* ſi is excedat vires naturales ſcribentis (15). *Urgent vero ex his* non nulli ex DD. Proteſtantium Doctoribus ſequentes notas, videlicet 1.) *conſilium* quoddam *commune in ſacris ſcriptoribus* utriusque teſtamenti, quod in perſonis tam diſparatis ſine ſpeciali concurſu DEI ſupernaturli concipi non poſſit. Nam ſcripturæ ſacræ ſimul ſumtæ continent tum *hiſtoriam antiquæ & novæ religionis divinitus revelatæ*, & *veram ipſam utramque religionem revelatam ſecundum omnia ſua dogmata;* ſic, ut pars una alteram pro ſua intelligentia completa ſupponat, ita, ut pæne pars nulla earum omitti ſine detrimento ceterorum poſſit. Urgent 2.) ſanctitatem & ſublimitatem doctrinæ, hujusque inprimis divinam plane efficaciam & virtutem in corde quovis humano movendo ad bonum, & abſterrendo a malo; quæ ſub ſenſum intimum cujusque pii lectoris cadat. 3.) Addunt ceteras exquiſitæ cujusdam perfectionis notas, *circa rerum delectum* in hiſtoricis narrationibus, circa *brevitatem*, *ſimplicitatem ſublimem*, *nobilitatem ſtyli*, *ordinem &c.*

Verum excepto caſu, quo vel in idiomate ſibi ignoto, vel prophetias certas, aut res ſibi immediate ante plane ignotas, quis ſcribit, aut loquitur, *difficile ſane eſt*, *ex ſola natura & notis intrinſecis ſcripti vel ſermonis, cum certitudine concludere de concurſu DEI ſupernaturali immediato ad ſcriptio-*

nem, *vel ſermonem ejusdem:* ſiquidem opus ad hoc foret, ut vires omnes naturales præſentes perſonæ ſcribentis, cum actu ſcriberet, plane nobis perſpectæ eſſent. Imo in ipſo caſu prophetiæ incertum eſſe poteſt, an non jam alias ante ſcriptionem prophetia divinitus quidem accepta, ſed deinde mere humanitus conſcripta fuerit. *Porro* hoc ipſum valere *de ſacris Scriptoribus noſtris* facile eſt oſtendere ſingillatim. Nam 1.) *voluntas ſcribendi*, & quidem hæc determinate ſcribendi, *in ſcriptoribus novi teſtamenti*, poſt acceptum ab Apoſtolis S. Spiritum & donum falli neſcium docendi, quæ Chriſtus tradidit, & poſt divinam vocationem ad Evangelium propagandum, facillime *ex occaſione ipſius prædicationis* iſtius naſci potuit, & reipſa, ut conſtat, ſemper *ex occaſione quorundam factorum nata eſt in omnibus ſcriptoribus ſacris* inde a Moſe uſque ad auctorem Apocalypſis: id quod de Evangeliſtis probavi in Dem. Evang. §. 258. ſeqq. *Conſilium & intentio cujusque ſcriptoris ſeorſum* ut plurimum ad has ipſas occaſiones ſcribendi, & fere ad lectores ſuæ ætatis reſpicit, quorum neceſſitati inprimis proſpicere ſatagit; Moſe legislatore & Prophetis exceptis; quorum res ſcriptæ futurum magis reſpiciunt. *Conſilii communis concordia*, & *perfecte ſufficiens aptitudo ſcripturarum ad unum communem finem*, non excedit providentiam DEI naturalem, & induſtriam prudentiamque hominis, eos præciſe libros ex plurimis aliis præterea ſimiliter ſcriptis ſeligentis in unum canonem, & pro auctoritate publica proponentis ſuæ Eccleſiæ. *Denique* libris Ruth, Eſther, Tobiæ, cur ſalva religione carere ſimpliciter non poſſimus? 2).Quod porro *cognitionem intellectus*, ſeu *res ſcriptas* univerſe attinet, conſtant illæ aut *hiſtoriis factorum*, aut *dogmatis*, aut *prophetiis*. Atqui a) *hiſtorias* omnes naturaliter ſcire & ſcribe-

re

re potuere; quia vel teſtes omnium oculati fuerunt, vel fontes allegant, vel certe hi ſatis conſtant, unde acceperint (Dem. Evang. 255. 286. 305. 309.) Delectus earum fere in particulari cujusque ſcriptoris fine & occaſione ſcribendi facile, ceu ex regula determinante media, intelligitur. Hiſtorica narratio *ſermonum Chriſti* longiorum tam diſſimilis eſt in Evangeliſtis, tam ſubinde contracta in ſynopſin, nec uno relata nexu, ut naturalem eorum memoriam ſaltem aperte non excedat. Forte commodo tempore aliqua adnotarunt; aliquos ipſo uſu, repetitione inter ſe, prædicatione ſæpius iterata, profundius & ordinatius memoriæ impreſſere. b) *Dogmata a Chriſto propoſita* partim ad naturalem, partim ad ſupernaturalem religionem pertinent. Jam certum quidem eſt, originem totius ſyſtematis religionis a Chriſto propoſiti divinam eſſe, & captu naturali Evangeliſtarum ſuperiorem. Naturalis totius religionis cognitio ſaltem moraliter, ſupernaturalis vero abſolute, per ſolas vires naturæ illis poſſibilis non erat. Certo utique utramque tam Apoſtoli, quam Moſes, divina ex revelatione acceperunt. Verum ex hoc non ſequitur, non potuiſſe illos, quod divinitus & ſupernaturali modo acceperant, naturaliter literis conſignare: nec ſequitur, *ex natura ſcripti* probari poſſe, quod vel dogmata divinitus ipſi Apoſtoli conſcripſerint; quippe quod ſolo ex Chriſti teſtimonio, etiam humanæ ſcripturæ inſerto, probari poſſet: nec ſequitur denique, omnes & quoscunque ſacros ſcriptores in perſona religionis illud ſyſtema immediate a DEO revelante, vel a Chriſto, accepiſſe; ſed potuere id accipere mediante alio Apoſtolo, uti S. Marcus a S. Petro, S. Lucas a S. Paulo; idemque deinde potuerunt ſcribere ſaltem ipſi mere humanitus. *Denique* quot religioſos libros habemus, qui ſummo animos pietatis in DEUM & virtutis ſenſu afficiunt; & tamen mere humanitus

ſcripti ſunt. Aut quis gradum ſenſus iſtius diſcernet, qui divinam originem *certo* prodat? c) Demum *de Prophetiis* idem plane, quod de dogmatis valet: accipi immediáte divinitus, ſcribi humanitus potuere; forte per partes, prout acceptæ ſunt; ſi multitudine rerum abundent, ut Apocalypſis. 3) *In verbis* & idiomate ſcriptorum nihil ſupernaturale apparet. Idiomatis omnes eam peritiam habere per naturalem induſtriam poterant; quantam in ſcriptis ſuis quisque prodit. Conſtat enim, Græcum quoque idioma tunc in Palæſtina plebejis etiam hominibus familiare fuiſſe, & facile potuiſſe fieri, ut ſcriptores ſacri idem ex neceſſario cum Græcis uſu penitius diſcerent in prædicatione ipſa Evangelii, per annos octo decemve ſaltem jam producta, priusquam ſcriberent. 4) *Methodus ſcribendi & docendi* quidem illuſtri prorſus ſimplicitate & perfectione ſua altius quid ingenio naturali Apoſtolorum paſſim prodit, & veriſimilitudinem divini concurſus præ ſe fert. Sed quis cum certitudine naturalem capacitatem ſcribentium definiet, tunc præſertim, poſtquam cor & totus animus illorum divina quadam ſapientia & nobilitate totius ſenſus interioris de rebus religionis JESU Chriſti impletus eſt? *Certum itaque eſſe concludo, ex intrinſecis notis ſacrarum ſcripturarum originem earundem immediatam divinam cum certitudine colligi nequaquam poſſe.*

22.

Probant divinitatem integræ ſcripturæ 3) *ex teſtimoniis divinis*, nempe ipſius Chriſti Domini, *& primo quidem divinitatem Scripturarum novi teſtamenti.* Teſtimonia Chriſti in hanc rem præcipua ſunt a) Matth. X. 19. *cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Verum* hic tantum

pro

pro caſu publicæ defenſionis doctrinæ ſuæ illis actualis inſpiratio divina promittitur. Unde idem Marcus XIII. 11. ſic exprimit: *quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini;* & S. Lucas XII. 12. *Spiritus enim ſanctus docebit vos in illa hora, quid oporteat vos dicere.* Jam ex hoc ad ſummum inferri poterit ſimilis aſſiſtentia in ſcribendis doctrinis Chriſti, non item in aliis. *Præterea* in defenſione publica doctrinæ fidei coram Magiſtratibus ſingularis erat neceſſitas, ne vacillando, ex defectu præſentiæ ſpiritus & quietis mentis, ac libertatis, male illam defenderent; cum ad hoc acumine, prudentia, & animi conſtantia malaciaque opus fuerit. b) Joan. XIV. 16. promittit eisdem Apoſtolis Chriſtus: Pater *alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum:* & v. 26. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis;* id eſt, aperiet ſenſum omnium, & refricabit memoriam omnium &c. *Verum* hæc promiſſa probant influxum perpetuum S. Spiritus in omnem publicam prædicationem & propoſitionem doctrinæ Chriſti, atque etiam in ſcriptionem dogmatum a Chriſto acceptorum; aſt non item in omnem reliquam mere hiſtoricam factorum narrationem, totumque contextum. c) *Miracula* denique, ceu totidem DEI teſtimonia allegant, pro conteſtanda Scripturarum Chriſtianarum divinitate facta. *At enim* miracula quidem pro conteſtanda Chriſti divinitate, & conſequenter pro divinitate univerſæ doctrinæ & inſtitutionis ipſius, pro divina item Apoſtolorum miſſione confirmanda, tum a Chriſto, tum ab Apoſtolis patrata, eaque plurima, omnes novimus; ſed pro hoc ſingulari dogmate divinæ immediatæ originis Scripturarum editum miraculum, idque ſatis publicum, equidem ne unum quidem novi, neque norunt ipſi, qui hoc argumento in iſta quæſtione utuntur. Præterea, etſi

miracula extarent *pro veritate Scripturarum* conteſtanda edita, applicatio hæc divinæ auctoritatis, conſequenter ſcripturis ſuperveniens, eisdem quidem certitudinem divinam, non tamen divinam immediatam originem tribueret (17. 18.) *Ut adeo pro divinitate integræ Scripturæ novi teſtamenti teſtimonium divinum ſatis certum non extet.*

23.

Teſtimonia divina divinitatem Scripturarum veteris teſtamenti, in Canone Hebraico contentarum probantia plura magisque ſolida ſuppetunt. Nam 1) Joan. V. 39. Chriſtus, ad veteres Scripturas ablegans Judæos, ait: *ſcrutamini ſcripturas; quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me; & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* 2) Joan. X. 34. eisdem ait: *nonne ſcriptum eſt in lege veſtra* (id eſt, in Pſal. LXXXI. 6., in quo Aſaph auctor Pſalmi ſic DEUM loquentem inducit: *quia ego dixi: Dii eſtis. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo DEI factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura &c.* 3) Matth. XXII. 44. ait, quod *David in ſpiritu* Meſſiam *vocet Dominum, dicens* (Pſal. CIX. 1.): *dixit Dominus Domino meo.* Jam ad vim horum teſtimoniorum perſpiciendam inprimis ſupponi debet, quod infra oſtenſurus ſum, videlicet apud Judæos ætate Chriſti receptam fuiſſe certam perſuaſionem communem, quod ſcripturæ in Canone ſuo Hebraico enumeratæ omnes divinam auctoritatem haberent. Porro totus ille *Canon* in cit. verſ. Jo. X. nomine *legis* deſignatur: ſiquidem ſi nomine *legis* ſoli libri *Leviticus*, *Numeri*, & *Deuteronomium* appellarentur; quomodo Chriſtus ceu partem legis ibidem Pſalmum LXXXI. citare potuiſſet? Jam vero hoc ſuppoſito Chriſtus in his allegatis locis aperte approbat ceu veram iſtam Judæorum ſententiam. Nam etſi *in primo loco* Jo. V. poſſit videri

deri ſolum argumentari ad hominem (*quia vos putatis &c.*): tamen altero in loco Jo. X. aperte ex proprio ſenſu ait, *ſcripturam ſolvi non poſſe*, id eſt, falſam eſſe: ubi profecto per *legem* æque ac *ſcripturam* iterum non ſolum Pentateuchum, ſed totum Canonem, ex mente Judæorum intelligit. Pariter cum dicit, Davidem *in ſpiritu* ſcripſiſſe Pſalmos; aperte illum divinitus ſcripſiſſe ſecundum modum loquendi Judæis familiarem affirmat. Fuiſſe enim iſtam uſitatam apud Judæorum vetuſtiſſimos interpretes Sacras Scripturas citandi modum, quod *DEUS*, *vel S. Spiritus*, hoc illudve dixerit, videre eſt in *Tanchuma* f. 17. col. 4. & f. 15. col. 1. Unde & S. Petrus Act. I. 16. ante acceptum ab Apoſtolis S. Spiritum dixit: *oportet impleri Scripturam*, *quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda*, ... *in libro Pſalmorum*: .. *& epiſcopatum ejus accipiat alter* (Pſ. LXVIII. 26.). Argumentans nempe Chriſtus adverſus Judæos pro ſua divinitate probanda ex Scripturis ipſorum, ſupponit pro certo principio, non ſolum Prophetias de Meſſia in illis contentas (*quomodo David in ſpiritu vocat eum Dominum?*) ſed etiam alia dogmata & doctrinas in iis contentas (*ſcriptum eſt: Dii eſtis. Si illos dixit DEOS*, *ad quos ſermo DEI factus eſt*, *& non poteſt ſolvi Scriptura*) eo quod ſpiritu divino inſpirante ſcripta ſint, falſas eſſe non poſſe. *Sed* an etiam ſupponebat, totum contextum mere hiſtoricum & narrationes factorum fuiſſe ex integro divinitus ſcriptas? Hoc enimvero ad vim argumentationis Chriſti ſupponere abſolute neceſſarium quidem non erat: attamen, cum nec Judæi inter doctrinas & prophetias ex una, & mere hiſtorica facta in Scripturis contenta ex altera parte diſtinguerent, ſed eas ex integro divinas haberent; nec Chriſtus item quid excipiat, ſed *Scripturam* ſimpliciter *ſolvi non poſſe* affirmet; *ratiocinio theologico veriſimillime ex* his *Chriſti verbis conclu-*

di-

ditur, totam Scripturam veteris Canonis Hebraici divinitus ſcriptam fuiſſe.

24.

Probant divinitatem integræ Scripturæ 4.) *ex teſtimoniis humanis, ac primo ipſorum Scriptorum Sacrorum veteris teſtamenti de iſtius propriis Scripturis.* Ex his a.) *Moſes* teſtatur ſe expreſſam juſſionem divinam accepiſſe Exodi XVII. 14., ut ſcriberet victoriam adverſus Amalecitas ab Iſraëlitis relatam; & Deuter. XXXI. 19. ut ſcriberet canticum illud *Audite cœli*, quod Cap. ſeq. ibidem habetur. b) *David* inprimis ipſe de ſe teſtatus eſſe in Lib. II. Reg. XXIII. 2. refertur, quod ſpiritus Domini locutus ſit per ipſum. *Dixit David.. egregius Pſaltes Iſraël: Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam.* Sed dubium eſt, an iſtud teſtando David affirmet, in omnibus Pſalmis ſcribendis, an vero ſolum in eo, quod mox ibidem ſubjicitur velut ab eo compoſitum, per illum locutum eſſe Dominum. Quodſi præterea DEUS ſaltem in Canticis propheticis, quæ Pſalmis Davidis commixta ſunt, per illum vere locutus eſſet; jam de ſe ex vero David affirmare potuiſſet: *ſpiritus Domini per me locutus eſt.* Deinde non ait David, in ſcriptione primum & compoſitione Pſalmorum DEI locutiones illas ad ſe directas fuiſſe. Potuit ante excepiſſe, & jam exceptas ſcripſiſſe mere humanitus. Unde communis hujus loci interpretatio apud Catholicos recepta, quæ tenet, illum de omnibus Pſalmis generalem DEI inſpirationem exprimere, hunc ſenſum non tam ex tenore literæ & expreſſionis propria emphaſi derivat, quam ex aliunde nota (nimirum ex Eccleſiæ judicio, ut infra patebit) totius Scripturæ divina inſpiratione. Pariter in Pſal. XLV. 2. David, *linguam* ſuam vocans *calamum ſcribæ velociter ſcriben-*

lentis, creditur ex communi ſenſu interpretum id dicere de univerſis Pſalmis; quia ſcilicet id ex Eccleſiæ judicio aliunde certum ſupponitur. Secus certe de ſolo illo ipſo Pſalmo id dicere cogitari poſſet. c) Similiter *Iſajas* VIII. 1. XXX. 8. & *Jeremias* XXX. 2. XXXVI. 2. LI. 59. *Habacuc* II. 2. *Ezechiel* XXIV. 2. XLIII. 11. affirmant, ſaltem partes aliquas acceptarum a DEO revelationum ac prophetiarum ſe ex divino juſſu expreſſo ſcripſiſſe; *Daniel* vero librum ſuum totum ita ſe ſcripſiſſe cap. XII. 4. innuit. Juſſus porro *inſpirationem* probat; quæ *directione* divina in Prophetis non caruit eo ipſo, quod Prophetiæ, ceu diu poſt implendæ, citra ullum errorem literis conſignari debebant, ut fructum ſibi proprium ſuo tempore afferre poſſent (18). Porro alia teſtimonia non ſuppetunt, ex libris ſacris veteris teſtamenti. *Ad ſummum ergo ex ſcriptoribus ſacris teſtamenti veteris, ceu teſtibus, probatur, aliquas, easque (relate ad reſiduas) perpaucas partes veteris teſtamenti Scripturarum divinitus conſcriptas eſſe.*

25.

Sacrorum Scriptorum novi teſtamenti teſtimonia de divinitate Scripturarum ejusdem veteris teſtamenti præcipua ſunt ſequentia. 1) II Timoth. III. 16. S. Paulus ſecundum lectionem vulgatam ait: *omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, & arguendum &c.* Textus vero græcus ita habet: πᾶσα γραφὴ θεόπνευςος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον; cui hic ſenſus reſpondet: *omnis ſcriptura divinitus inſpirata, & utilis ad docendum, ad redarguendum &c.* Jam autem, ſive vox *inſpirata*, θεόπνευςος, ſit *ſubjectum*, uti illud eſt in lectione vulgata; ſive ſit eadem vox *prædicatum* perinde atque vox *utilis*, καὶ ὠφέλιμος; quod græcus textus innuit; Apoſtolus utraque in hypotheſi, affir-

mat,

mat, vel certe ſupponit, exiſtere Scripturam divinitus inſpiratam. Nam paullo ante v. 6. monuerat Timotheum, ut ne ſeductione malorum hominum a veritatis via ſe abduci ſineret; ſed (v. 14.) permaneret in iis, quæ didiciſſet: quia *ab infantia ſacras literas noſſet; quæ illum poſſent inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto IESU.* Tum vero mox de his ipſis *SS. literis*, quas didiciſſet Timotheus ab infantia, ſubdit idem Apoſtolus: *omnis Scriptura divinitus inſpirata &c.* Ubi ſi non per modum *prædicati* affirmat inſpirationem (uti reipſa verſio latina, Syriaca & Arabica videtur vocem *inſpirata* potius ad *ſubjectum* retrahere) certe tamen ſupponit exiſtentiam inſpirationis earum SS. literarum, quas Timotheus ab infantia ſua didicerat, & de quibus S. Paulus eidem paullo ante dixerat, quod *illum inſtruere poſſent ad ſalutem per fidem in Chriſto IESU.* Jam vero ex hoc ipſo patet, quod S. Paulus (niſi aliunde, nempe ex auctoritate Eccleſiæ, aliud probetur) non niſi de SS. literis veteris teſtamenti loqui videatur, vel ſaltem illum de his ſolis iſto quidem in loco loqui neceſſario admitti debeat. Itaque a) *ex iſto loco immediate nihil de exiſtentia SS. literarum novi teſtamenti, ſed tantum de exiſtentia aliquarum SS. literarum veteris teſtamenti inferri poteſt*: quippe quas ſolas S. Timotheus *ab infantia ſua noſſe* poterat, ceu ex matre Judæa natus: cum Scripturas Chriſtianas non niſi jam adultus accipere potuerit. b) Præterea vox autographa θεόπνευςος aliud ſtricte non dicere videri poſſit, quam ſcripturam *ſpiritu DEI plenam*, id eſt, quæ contineat plurimas doctrinas immediate a DEI ſpiritu revelatas, etſi humanitus deinde ſcriptæ ſint; vel certe ſi ſola dogmata & prophetiæ in veteris teſtamenti libris divinitus ſcripta eſſent, non item cetera mera facta hiſtorica, nec totus contextus, libri ta-

tamen illi *ſpiritu DEI pleni* recte vocari a S. Paulo potuiſſent. Neque vero ſcopus Apoſtoli præſens amplius quid requirebat; qui erat is, ut Timotheus contra ſeductionem malorum hominum, *a via veritatis alios abducere* quærentium, ſe firmaret lectione *SS. literarum*, *quæ illum* abunde *poſſent inſtruere ad ſalutem in fide IESU Chriſti.* Atqui hoc poſſunt SS. literæ etiam veteris teſtamenti, quatenus res divinitus revelatas & prophetias de Chriſto, certa fide etiam ſolum humana ſcriptas continent. *Nec obſtat*, quod *omnis* Scriptura in textu græco *prædicetur* divinitus inſpirata: quia jam hoc verum erit, ſi omnis ejus liber contineat res, dogmata, vel prophetias, divinitus revelatas. *Interim nihilominus* verum eſt, S. Paulum, niſi plus affirmare vellet, quam Scripturas veteres eſſe *DEI ſpiritu plenas* ob ſolas res contentas, ſic non diſcreturum eas a catechiſmis, a ſcriptis ſermonibus ſacris, aliisque religioſioribus libris. *Præterea* nunquam is utitur voce θεόπνευςος niſi de SS. literis; ac proinde aliquid illis ſolis proprium per illam ſine dubio exprimere voluit. *Denique* cum certum ſit, Judæos id temporis communiter vere divinitus ſcriptos credidiſſe SS. libros ſui Canonis hebraici (ſaltem quoad dogmata & prophetias, ſi non omnino integros): nec Timotheus, nec alii Chriſtiani, S. Paulum aliter intelligere, nec iſte ea voce aliud deſignare potuit: ac proinde *aliqua immediata origo divina SS. literarum veteris teſtamenti ex hoc loco II. ad Timoth. III. 16. certiſſime; integra autem earum divinitas valde veriſimiliter, non tamen certiſſime probatur.*

2.) II. Petri I. 19. S. Petrus poſt enarratam hiſtoriam transfigurationis Chriſti in monte Thabor, & auditam DEI vocem, *hic eſt filius meus dilectus*, quorum omnium ſe teſtem præſentem dicit, porro

ſic

ſic pergit: *& habemus firmiorem propheticum ſermonem; cui bene facitis attendentes: .... hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia ſcripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed ſpiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti DEI homines.* Jam a) *locus iſte ad ſolas ſcripturas veteris teſtamenti pertinet.* Ad has enim unice, quatenus prophetias de divinitate Chriſti continent, ablegat S. Petrus lectores ſuos ex Judaiſmo converſos ad Chriſtum. b) Si abſtrahamus adhuc ab omni Eccleſiæ judicio & interpretatione iſtius loci, *omnino quidem probabile videri poteſt*, nomine *prophetici ſermonis*, & *prophetiæ Scripturæ*, non præciſe *prophetias* proprie tales, in SS. literis *veteris teſtamenti* contentas, deſignari, ſed *omnes* illius *libros univerſe* more prophetiarum *divinitus inſpiratos indicari.* Certe etiam ad Epheſ. II. 20. cum gentiles ad fidem converſi dicuntur eſſe hoſpites in civitate DEI *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum*; & ad Hebr 1. 1. cum S. Paulus ait, *multifariam DEUS nobis loquens in Prophetis*; utroque in loco valde probabile eſt non ſolos *Prophetas in ſpecie* ſic a Judæis appellatos, ſed Moſen item & Davidem, qui de Meſſia item prophetias protulerunt, imo univerſe omnes ſcriptores ſacros veteres deſignari. c) *Nihilominus, abſtrahendo ab Eccleſiæ judicio, profecto id certum non eſt. Nam* expreſſe loquitur S. Petrus de Prophetis *loquentibus* prophetice (*locuti ſunt ſancti DEI homines*). *Nec* argumentum ejus ullo pacto exigit, ut affirmet, vel ſupponat, ſcripſiſſe prophetas divinitus. Siquidem probare præciſe vult, Chriſtum & Meſſiam præſentem eſſe & DEUM, tum ex voce DEI Patris, quam ipſe in Thabore audiiſſet, tum ex teſtimonio Prophetarum illum prædicentium; quorum prophetiæ non potuerint eſſe inventa arbitraria phantaſiæ,

ſiæ, ſed revelationes S. Spiritus *loquentibus* illis factæ. Itaque *de loquentibus ſolum Prophetis locutus ipſe videri S. Petrus adhuc probabiliter poteſt, non de ſcribentibus SS. literas univerſe.* d) Denique ſi etiam priorem ſententiam ſupponas *de hoc loco* (b): tamen *haud certo evinces immediate, SS. libros integre. ſed ſolum, prophetias illarum, divinitus ſcriptas fuiſſe.*

* Ceterum easdem obſervationes applicare oportebit ad illud dictum S. Petri I. Act. 16. *oportet impleri ſcripturam, quam prædixit ſpiritus ſanctus per os David de Juda &c.* uti & ad alia ſimilia. Quamquam vix aliqua ſuppetunt SS. Scriptorum novi teſtamenti teſtimonia, quæ vel parem vim cum duobus iſthic propoſitis vim utcunque habere poſſint: ut adeo volens ea omnino prætercam.

26.

Sacri Scriptores novi teſtamenti nuſpiam teſtantur, ſe omnia ex integro divinitus ſcripſiſſe. Enimvero nuſpiam id genus teſtimonium in eorum literis invenitur; &, quod amplius eſt, nec exſtat quidem teſtis ullus alius probatæ fidei in Eccleſia, quid id expreſſe teſtetur, quod ipſi SS. Scriptores id unquam de ſe teſtati ipſimet fuerint. Nec vero iidem uſpiam relate ad univerſa a ſe ſcripta talem tantamque attentionem ac reverentiam uſpiam requirunt; qualis quantaque ſcripto ex integro divino circa res omnes ſcriptas debetur; ſed hanc ſemper reſtringunt ipſi Apoſtoli ad ſolam doctrinam ſuam. *Solus auctor Apocalypſis S. Joannes ſe DEI accepiſſe imperium teſtatur*, ut viſiones & prophetias divinitus acceptas conſcriberet.

* Similem in modum Eccleſiaſticus a Cap. XLV. uſque ad L. laudat pleroſque ſacros *ſcriptores veteris teſtamenti ſingillatim*; & tamen ne verbum de divina illorum inſpira-

ratione & directione in univerſis ſcriptis ſuis memorat. Adde, quod *Melchior Canus* de locis Theol. L. III. Cap. 3. *Bellarminus* L. IV. de Verbo DEI. C. 4. §. 2. *Coſterus* in Enchir. c. 1. *Lindanus* in Panoplia L. I. c. 23. negent, uspiam legi, aut teſtari apoſtolos, ſe ex mandato Chriſti ſcripſiſſe.

** *Martyres* quoque fruſtra veluti hujus divinæ originis ſcripturarum teſtes allegantur. Nullus enim oſtendi poteſt, qui pro hoc facto ſingillatim conteſtando martyrium ſubierit. Pro divinitate autem totius doctrinæ Apoſtolicæ mortem obire, illamque certam habere potuere; quin ſcripturas integras divinitus ſcriptas aſſumi neceſſe ſit (12).

27.

I. Itaque *Scripturarum integrarum divinitus nec probatur a priori* (20); *nec a poſteriori ex notis intrinſecis illarum* (21): *pro divinitate integræ Scripturæ novi teſtamenti nec certum teſtimonium divinum* (22), *nec ullum ipſorum ſacrorum ſcriptorum extat* (26): *divinitas vero Scripturarum integrarum veteris Canonis Hebraici ex Chriſti divino quodam teſtimonio veriſimillime quidem concluditur* (23); *ex teſtimoniis autem ipſorum ſacrorum ſcriptorum, ſeu veteris* (24), *ſeu novi teſtamenti* (25) *non certiſſime probatur.*

* Videmus itaque, *ſepoſita auctoritate Eccleſiæ*, plura ſolidioraque argumenta pro divinitate *integra* Scripturarum veteris Canonis Hebraici, quam pro eadem divinitate integra Scripturarum novi teſtamenti ſuppetere, illorumque vim ratione *integræ* divinitatis probandæ præcipue in eo repoſitam eſſe, quod Chriſtus & Apoſtoli, SS. Petrus & Paulus, divinitatem veterum ſcripturarum adſtruentes, veriſimillime eam intellexerint ad mentem Judæorum, qui eas ex integro divinas habuere. Secus certe iſtum errorem ipſi confirmaſſent. Profecto S. Paulus in Epiſt. ad Ro-

Romanos & ad Hebr. III. 7. item X. 15. & Act. XXVIII. 25. atque alibi ſæpius dogmata fidei varia abſolutiſſime ſe probare credit ſola allegatione locorum Scripturæ veteris, paſſimque Apoſtoli dicunt, Spiritum Sanctum locutum eſſe per Pſalten (Act. I. 16.), Iſajam (Act. XXVIII. 25.) Jeremiam (ad Hebr. X. 15.); dum iſtorum ſcripta citant, ac proinde divina iſta pollere auctoritate ſupponunt.

28.

II. *Syſtema totum religionis atque dogmatum fidei in Scripturis, tam veteris, quam novi teſtamenti, contentum, etiam ſepoſita auctoritate Eccleſiæ multo certioribus & efficacioribus argumentis probatur divinitus ſcriptum fuiſſe, quam integer contextus, cui illa miſcentur.* Patet id ex §§. 22. 23.

* *Dices* vero: ſi ſemel probatum ſatis eſt, ſacros ſcriptores divinitus ſcripſiſſe dogmata & prophetias in ſuis ſcriptis contentas, tunc eo ipſo admittendum eſſe conſequitur, eos nulla prorſus alia in re ita divino caruiſſe influxu, ut actu in ulla errare potuerint. Quodſi enim aliquando in factis aliis narrandis errorem admiſiſſent, fides, memoria, & notitia illorum etiam in relatione dogmatum haud extra omnem ſuſpicionem erroris futura eſſent. Neque enim quid leve, quid magnum in Scripturis, quæ facta ſalvo dogmate falſa eſſe, quæ non falſa eſſe poſſint, tam facile eſt ſtatuere. Unde recte S. Auguſtinus in Ep. 8. S. Hieronymo, ſimulationem S. Paulo affingenti, cum Cepham reprehendiſſe ſe, iſtumque reprehenſibilem fuiſſe idem ad Galat. II. ſcribit, ita reſpondet: *admiſſo ſemel in tantum auctoritatis faſtigium officioſo aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, utcunque videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem pernicioſiſſima regula ad mentientis auctoris conſilium officiumque referatur.* Verum *reſpondeo*: hæc ratio fundare prudens humanum judicium & ſolidam conjecturam de integra divinitate ſcri-

pturarum poteſt; cujus etiam ſolius gradum attinget communis populi Judaici de eadem ſententia, ſi hæc alio fundamento nixa non eſt. Aſt non conficiet talis utcunque prudens perſuaſio firmum dogma, cui adſtipulari continuo omnes graviter obligemur: niſi hujus ipſius perſuaſionis auctoritatem altiore ex fonte in DEI Eccleſia derivemus.

§. III. *Argumentum unicum convincens eſſe Eccleſiæ concors ſententia oſtenditur.*

29.

Documenta de ſenſis Judæorum circa divinitatem ſuarum Scripturarum proferuntur. 1) Ipſi *ſacri ſcriptores Judæorum* nuſpiam divinitatem immediatam ſuarum ſcripturarum, ſed ſolum divinam originem & revelationem totius ſyſtematis religionis profitentur, cujus & dogmata & hiſtoriam ſcribunt. Unicum veſtigium in 1. Machab. XII. 9. occurrit in Epiſtola Jonathæ ad Spartanos, ubi dicitur: *habere ſe ſolatio ſanctos libros* in omni ſcilicet adverſitate, τὰ βίβλια τὰ ἅγια. Auctor Libri quarti Eſdræ Cap. XIV. quidem aſſerit, certo prodigio divino libros ſacros omnes, in captivitate Babylonica deperditos, Eſdræ a DEO de verbo ad verbum dictatos fuiſſe. Sed conſtat, ejus libri auctorem fuiſſe Judæum, Chriſti fide imbutum; eo quod Chriſti diſtinctiſſimam faciat mentionem. 2) Amplius quid hanc in rem nobis Ariſtæas, Philo, & Joſephus Judæus offerunt. *Ariſtæas* apud Joſephum Antiq. L. XII. c. 2. narrat (de Moſis Pentateucho quidem ſolo) verſionis ſeptuaginta duorum hiſtoriam, & quidem citra omne id genus miraculum factam, quale poſt Philonem non nulli ex SS. Patribus Chriſtianis eidem facto nimis creduli affinxere. Ubi præmiſſa quidem narratione fabuloſa de Theopompo, qui ob tentatam jam antea ſimilem verſionem SS. librorum

ra-

rationis uſu a DEO in pœnam privatus fuerit, mirabilem ſolum conſenſionem tantæ multitudinis interpretum (quos in commune contuliſſe operam & conſilium expreſſe affirmat) extollit; reipſa, ut videtur, in id intentus, ut præjudicium adverſus græcam verſionem illam conceptum, & de fictitia profanatione SS. librorum inde orta, Judæis eriperet. Ex quo proinde ſatis antiquitas opinionis Judæorum de divina quadam origine ſuorum SS. librorum innotescit, quos verſione in alienam linguam profanari credebant. Neque vero reverentiam iſtam ſolum divinæ origini legis & religionis ſuæ in illis SS. libris contentæ, non ſcriptioni ejusdem a Judæis habitam credas. Nam 3) *Philo* Judæus eandem verſionis LXX. hiſtoriam in Lib. II. de vita Moſis multis prodigiorum figmentis interpolatam referens, aperte interpretibus verſionem de verbo ad verbum divinitus ſingillatim dictatam, indeque in tanta græcæ linguæ copia ac verborum ſynonimorum multitudine ſane mirabilem conſenſionem ortam fuiſſe affirmat. Si ita de verſione ſenſit Philo, num forte minus quidpiam de autographis crediderit? Appellans ille SS. libros paſſim his vocibus utitur, *ἱεραὶ γραφαὶ, ἱερώτατον γράμμα, βίβλος Θεοῦ, ἱερώταται βίβλοι.* Ipſe modus commentandi in SS. libros, eidem uſitatus, & in verbis juxta ac ſententiis myſteria perſequens, certam ſententiam illi fuiſſe oſtendit, integre a DEO fuiſſe dictatos. Univerſe idem *Prophetam* definit eum, qui non niſi, quæ DEUS illi interne locutus eſt, externe proloquitur; indeque concludit, in ſermone talis prophetæ nihil imperfectum ineptumque ineſſe poſſe. 4) *Joſephus* contra Appionem L. I. pag. 441. edit. Havercamp. de libris hiſtoricis ſuæ nationis ait, *eos non niſi a prophetis ſcriptos eſſe; qui vetuſtiſſima facta ex divina revelatione, ſui vero temporis acta ſinceritate ſumma ſcri-*

ſerint. Eſſe apud ſeſe (Judæos) *non ingentem numerum, ſed* 22 *haud amplius libros, qui totius acti temporis hiſtoriam complexi, merito pro divinis haberentur. Ex his quinque Moſen habere auctorem, qui & leges, cum hiſtoria inde a mundi principio, uſque ad Moſis obitum, continerent. Intervallum illud temporis ſaltem ter mille annos complecti. A Moſis obitu uſque ad regnum Artaxerxis, qui poſt Xerxen in Perſia regnarit, Prophetas poſt Moſen hiſtoriam ſuæ ætatis tredecim libris complexos fuiſſe. Quatuor reliquos partim canticis laudis divinæ, partim inſtitutionibus vitæ religioſe ducendæ conſtare. Exinde quidem & hiſtorias inde ab Artaxerxe uſque ad hodiernam diem literis conſignatas inter Judæos fuiſſe: ſed eas fidem atque auctoritatem priorum librorum non habere; eo quod prophetarum ſeries ulterior incerta ſit. Summam eſſe Judæorum erga SS. libros reverentiam, ita, ut poſt tot ſecula nemo auſus ſit quid addere, vel demere, vel mutare; ſed omnibus id a teneris perſuaſum eſſe: ſcripta illa pro ipſis DEI dogmatis habenda, eis conſtanter inhærendum, & ſi opus fuerit, pro iis mortem cum gaudio oppetendam eſſe...* Tum memorata Machabæorum fratrum conſtantia in tormentis pro divinæ legis & SS. librorum obſervantia defendenda exantlatis, Græcos urget: *num quis ex ipſis ſimile quid patiendum ſibi pro univerſorum ſuorum librorum jactura amolienda exiſtimaret. Ejus porro diſcriminis hanc unam eſſe cauſſam*, ait, *quod eos narrationes non niſi tales complecti crederent, quas illorum auctores non niſi ex mera humana ſententia conſcripſiſſent.* Itaque Joſephus abſolute teſtatur, Chriſti ætate a Judæis univerſos SS. libros ſui Canonis pro divinitus dictatis habuiſſe: etſi documenta nos deficiant, quibus doceamur de prima epocha ſententiæ iſtius per eos conceptæ, aut num inde a principio ſemper ita ſenſerint. 5) *Deni-*

nique ex allatis *Chriſti* teſtimoniis §. 23., & teſtimoniis *SS. Petri & Pauli* (27. not.) patet, illo ipſo tempore receptam apud Judæos ſententiam fuiſſe, res omnes ſaltem ad dogmatis alicujus rationem pertinentes, quæcunque in SS. literis continerentur, divinitus ſcriptas, atque ob divinam auctoritatem certiſſime credendas eſſe. Quo enim pacto ſecus aut Chriſtus, aut Apoſtoli, continuo Judæis SS. literas ut *in ſpiritu* ſcriptas, & in quibus *S. Spiritus loquetur*, citare potuiſſent? Qua emphaſi Chriſtus & Apoſtoli toties ex unico verbo ſcriptoris ſacri argumentum irrefragabile repetere poſſent, ex. gr. ex voce, *Dii eſtis*, David in ſpiritu vocat Meſſiam *Dominum*, & ad Hebr. I. 5. *cui angelorum dixit aliquando*, FILIUS *meus es tu*? 6) His adde teſtimonia *Thalmudis Babylonici* in Gemara ad tract. Sanhedrin, & *Jeroſolymitani* Tract. Taanith, & *Rabbinorum* Moſis Maimonidis in Tract. de Pœnitentia, Menaſſeh Ben Iſraël in Probl. VI. de creat., aſſerentium divinitatem SS. Scripturarum eſſe articulum fidei fundamentalem.

30.

Senſa Patrum & Scriptorum Eccleſiæ Chriſti de divinitate integrarum Scripturarum utriusque teſtamenti. 1) S. CLEMENS ROMANUS Ep. I. ad Corinth. vocat *Scripturas Sanctas*, dicitque, *eſſe oracula S. Spiritus, quæ nihil injuſtum, nihil falſum continere poſſunt:* item, Epiſtolam S. Pauli ad Corinthios *in ſpiritu* ſcriptam eſſe. 2) S. POLYCARPUS in Ep. ad Epheſios itidem *Scripturas Sanctas* vocat, & inter has allegat epiſtolam S. Pauli ad eosdem ſcriptam. 3) S. JUSTINUS Martyr in Apol. II. *non prophetis, ſed Spiritui Sancto ac DEI verbo tribuenda eſſe, quæ illi loquuntur.* In Dial. cum Tryphone *negat* abſolute, *in Scripturis Antilogias eſſe poſſe*, & SS. ſcriptores vocat θείῳ πνεύματι λαλήσαν-

τες, ἁγίῳ πληρο θέντες πνεύματι. In Paræneſi ad gentes, quæ eidem adſcribitur, docet, SS. Scriptores fuiſſe *inſtrumenta a S. Spiritu ceu plectro mota.* 4) S. DIONYSIUS Corinthiacus apud Euſeb. IV. 23. vocat *Scripturas Domini.* 5) S. IRENÆUS adv. hæreſ. L. I. c. 46. 47. defendit, Scripturam perfectam credi debere, eo quod ſit *Verbum DEI & ſpiritus ejus.* Idem L. II. 27. I. 8. V. 20. appellat *Scripturas divinas*, *divina oracula*, *ſcripturas Domini.* 6) CLEMENS ALEXANDRINUS in Pædag. ait, *os Domini & S. Spiritum omnia locutum eſſe, quæ SS. literæ dicunt;* ac provocat ad S. Pauli dictum II. Tim. III. 16. *omnis Scriptura divinitus inſpirata &c.* In Stromat. L. IV. ait, *Scripturas omnipotenti auctoritate confirmatas eſſe.* 7) ORIGENES de Princ. Scripturas dicit *ſpiritu ſancto ſcriptas*; in L. V. contra Celſum: *Judæos & Chriſtianos convenire in hoc, quod SS. libri divino ſpiritu ſcripti ſint.* In Comment. in Lucam Præfat. ait: quatuor Evangeliſtas ſcripſiſſe a S. Spiritu inſpiratos; in Præfat. in Matth. addit cooperante S. Spiritu ſcripſiſſe, συνεργῦντος τῦ ἁγίυ πνεύματος. 8) S. CYPRIANUS de Unit. Eccl. ait, *S Spiritum per Apoſtolum Paulum,* in ejus epiſtolis *loqui.* 9) EUSEBIUS in Hiſt. Eccl. V. 28. Artemonis hæreſiarchæ aſſeclas de corruptis ſcripturis accuſatos fuiſſe ab aliquo ſcriptore memorat, qui hoc ſcelus ita exaggeret: *vel non credebant iſti, SS. Literas a S. Spiritu dictatas, & ſunt infideles; vel ſe S Spiritu prudentiores æſtimant & fatui ſunt.* 10) S. ATHANASIUS decretorie decernit in Expoſit. Pſalm. *utriusque teſtamenti libros integros dictante (vel inſpirante) S. Spiritu ſcriptos fuiſſe.* 11) S. AMBROSIUS in Epiſt. ad Juſtum ait: aliquos inficiari, SS. Scriptores arte ſcripſiſſe: ſeque ejusdem eſſe ſententiæ: non enim arte, ſed per gratiam omni arte majorem ſcripſiſſe; eoquod ſcripſerint,

rint, quæ S. Spiritus dictaret. 12) Abhinc *nubes integra interpretum* ſequitur, qui omnes ipſo interpretandi modo, et in omnibus apicibus divinos ſenſus venando, ſatis oſtendunt ſenſa ſua de divina origine integræ Scripturæ.

* Atque hic *ſenſus publicus ac ſumme concors Eccleſiæ totius Catholicæ* eſt, per omnia ſecula ſequentia ad nos uſque conſervatus; quamquam, quoad res omnes in Scripturis divinitus ſcriptas affirmat, nullo unquam ſolenni Eccleſiæ definitione confirmatus. Etenim Concilium Tridentinum Oecumenicum Seſſ. IV. in Decreto ſolenni de Scripturis et traditionibus divinis, traditum DEI verbum ſcripto æquiparare contentum, aperte abſtrahit ab eo, an præter *ſalutaria veritatis et morum diſciplinæ* dogmata, res etiam ceteræ in Scripturis contentæ *divinitus* aut *revelatæ*, aut *dictatæ*, aut quoquo modo *ſcriptæ* ſint. Poſtquam enim dixit, id, *quod promiſſum ante per prophetas fuiſſet*, nempe *ut ſublatis erroribus puritas Evangelii in Eccleſia ſemper conſervetur, D. N. J. Chriſtum, DEI Filium, proprio ore primum promulgaſſe; deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam omnis & ſalutaris veritatis & diſciplinæ, prædicari juſſiſſe*; ſic pergit: *perſpiciens* (SS. Synodus), *hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt: orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quam novi teſtamenti, cum utriusque unus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſervatas, pari pietatis ac reverentiæ ſenſu ſuſcipit, et veneratur.* Ecce! de ſola *veritate ſalutari et diſciplina in libris ſacris contentis* memorat Tridentinum, ac profitetur, ſe ideo, quia hanc

in illis ac in traditionibus contineri ex æquo noſſet, & has, et illos, ſe pari pietate ſuſcipere.

31.

Senſus Eccleſiæ Catholicæ publicus & communis de divinitate integræ Scripturæ veteris ac novi teſtamenti ipſe regitur a Spiritu Sancto, ac proin falſus eſſe non poteſt. 2) *Certi ergo ex Eccleſiæ concordi judicio ſumus, univerſam Scripturam quoad res omnes in ea narratas non minus, quam quoad dogmata, divinitus eſſe ſcriptam.* Regitur enim ille ſenſus Eccleſiæ a S. Spiritu, ſi is ſuo influxu impediat, ne in iſta re Eccleſia fallatur integra (14). Atqui S. Spiritus reipſa ita influit in eundem. Promiſit enim Chriſtus hanc S. Spiritus aſſiſtentiam, ut nec erret ipſa unquam integra, nec errorem doceat in materia fidei divinæ, ſive docendo aliquid contrarium dogmatis divinitus acceptis, ſive proponendo aliquod dogma ceu divinitus acceptum, quod tale non eſt (vide Demonſtrat. Cathol. §. 207.). Jam vero erraret Eccleſia in materia fidei, ſi res omnes in Scripturis narratas, imo vel unam aliquam ex eis, proponeret ceu a Spiritu Sancto inſpiratam, aut ſua divina auctoritate confirmatam, ac proinde credendam propter DEI auctoritatem; quæ talis non eſſet. Ergo &c. *quod primum.* Ex hoc vero *alterum* ultro conſequitur.

Adde. Si Apoſtolus aliquis, cui immediate promiſſa in docendo Evangelio Chriſti aſſiſtentia S. Spiritus eſt, idem declaraſſet de quocunque Evangeliorum libro, ex. gr. S. Lucæ, judicium ejus vi divinæ promiſſionis JESU Chriſti foret, et ab omni Chriſtiano recte haberetur erroris expers, et falli neſcium. Atqui promiſſum Chriſti ſtabile eſt, nec ſolos attinet Apoſtolos, ſed vel maxime eorum ſucceſſores Epiſcopos atque Caput ipſum Eccleſiæ; maxi-

maxime vero ipſam univerſalem Eccleſiam, quam Chriſtus Matth. XVI. promittit fore in omne tempus ſuo *fundamento* ita immobiliter *inædificatam*, ut *portæ inferæ adverſus eam non prævaleant* (Demonſtr. Cath. §. 128.)

* *Opponit* huic argumento Vir eximius Joannes Amadeus Töllner, Theologiæ & Philoſophiæ Doctor publicus in Academia Francofurtenſi ad Oderam, in exactiſſimo ac ceteroquin ſinceriſſimo calamo ſcripto opere *de divina inſpiratione S. Scripturæ* a. 1772. edito; quo pæne exhauſit præſentem primi in Chriſtiana Eccleſia nominis quæſtionem; ita, ut aliud mihi non ſupereſſet, niſi ut inde ſuccum præcipuum excerperem; quod ipſum ſinceriſſime fateor: *opponit*, inquam, vir eximius in illo opere §. 56. quod ſequitur. Fatetur inprimis, tam concors Eccleſiæ Chriſtianæ judicium de integræ Scripturæ teſtamenti utriusque divinitate, quod mox inde ab editis ipſis Scripturis communi ſententia invaluit, ipſa ſua antiquitate omnem veritatis ſpeciem habere. Amplius vero hanc veriſimilitudinem illius creſcere ex ortu, quem veriſimillime habuerit hoc ipſum univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ judicium. Senſa enim id genus Eccleſiæ de veteri teſtamento abs dubio orta fuiſſe ex eo, quod Chriſtus juxta atque Apoſtoli verbis & facto ipſo non ſolum nunquam impugnarint opinionem & conceptum, quem Judæi de divinitate illius pridem haberent; ſed inſuper tum totum Canonem pro collectione ſcripturarum a DEO inſpiratarum declararint (23. 25.); tum vero eandem paſſim argumentis ex ea petitis ceu infallibile & divinum plane fidei principium repræſentarint (27. not. 23.) Itaque Eccleſia judicium de his ſcripturis Chriſti & Apoſtolorum judicio conſentaneum tulit. Sed hoc ipſo non poterat non ferre ſimile idemque prorſus judicium de Apoſtolorum ſcriptis.

ptis. Quis enim Chriſtianus ſerio credat, ſcripta Prophetarum nonniſi ſupernaturali influxu DEI exarata fuiſſe; quin hoc ipſo par aliquid eveniſſe in ſcriptis Apoſtolicis idem ſibi perſuadeat? ſi enim DEUS immediate eſt cooperatus, ut revelationes ſuæ ante Chriſti ætatem factæ, ſaltem præcipue, nobis authentice tranſcriberentur; profecto multo amplius id ipſe immediate effecerit, ut de revelatione per Chriſtum & Apoſtolos facta ſcripto authentico edoceremur. Præterea notum fuiſſe primis Chriſtianis, Apoſtolos auctores eſſe ſcripturarum novi teſtamenti: quo ſine adjuncto iſtas pro divinitus inſpiratis nunquam habuiſſent; quod ipſum judicium inverſe probet, illas pro Apoſtolorum ſcripturis habitas fuiſſe. Jam vero Apoſtolos fuiſſe communi ſententia æſtimatos pro hominibus a DEO motis; qui, quidquid docuiſſent, ex DEI illuſtratione didiciſſent. Quod ipſum judicium pronum erat, ut ad illorum ſcripta extenderetur. *At enim*, pergit præfatus ſcriptor, hoc quidem erat judicium Eccleſiæ inde a principio conceptum; hæc veriſimillima origo ejusdem. Sed an judicium hoc Eccleſiæ vim *teſtimonii authentici* habet *de facto*, quod in quæſtione eſt? Rationes, ex quibus formari id Eccleſiæ judicium potuit, quidem in ejus veritatem ac veriſimilitudinem influunt: ſed inde necdum id qualitatem & vim talis authentici teſtimonii attingit. Eſt enim *teſtimonium* affirmatio, quæ rationem ſufficientem præbere poſſit, ut factum aliquod pro vero habeatur. Atqui hæc aſſeveratio non niſi in illum cadit, qui aut proprio ſenſu id expertus ipſe eſt, aut certe ab oculatis teſtibus id excepit. Si *judicium* Eccleſiæ ſufficiente ratione nititur, tantum illud valebit apud nos; quantum iſta ratio, qua nititur: ſed ipſum ratio ſufficiens nobis eſſe non poterit, ut ei adſtipulemur. At teſtimonii vices ſi gerat; Patres, qui divinam ſcripturæ inſpirationem affirmant, ipſi oportet te-

ſten-

ſtentur, ſe ab Apoſtolis ipſis audiviſſe, quod iſti ſeſe inſpiratos a DEO intime ſenſerint, dum ſcriberent. Negari non poteſt, fieri potuiſſe, ut Patres hoc ab Apoſtolis teſtimonium acceperint: at enim ut, quod actu ita acceperint, certi eſſe poſſemus, opus eſſet, ut vel Chriſtiani doctores aliqui id ipſum certa fide teſtarentur, vel certe ut alius modus non ſuppeteret oſtendendi, quo pacto ad illud de ſcripturis judicium adducti eſſent. Atqui neutrum re ipſa evenire videmus. Nec Patres teſtantur, Apoſtolos de accepta rerum omnium a ſe ſcriptarum divina inſpiratione quidquam affirmaſſe; nec nobis deſunt rationes aliæ, ex quibus ortum veriſimillimum illius Eccleſiæ concordis judicii explicare poſſimus. Manere itaque his Chriſtianæ totius Eccleſiæ ſenſis vim *veri fundatique judicii*, ſed nequaquam *teſtimonii authentici*. *Verum* huic peracuto quidem ratiocinio et oppoſitioni breviter *reſpondeo*. Seu merum *judicium* hoc ſit Eccleſiæ de ſcripturarum univerſarum divinitate, eo pacto & ex illis rationibus ortum, quo vult ſcriptor iſte eximius; ſive re ipſa *teſtimonii* rationem habeat; cujus tamen primi auctores, qui ex ore ipſorum Apoſtolorum id factum exceperint, ignorentur: nihilominus nec id *judicium* ob rationes, ex quibus formatum eſt, nec *teſtimonium* præciſe ob fidem teſtium mere humanam, ita erroris expers eſt, ut certiſſimam ei fidem habere & poſſimus, & debeamus; ſed quia tam concors iſtud ſeu *judicium*, ſeu *teſtimonium* Eccleſiæ in argumento ad fidem pertinente vi promiſſionis a Chriſto factæ certiſſime a Spiritu Sancto regitur. Etſi ergo certis ex documentis probare non poſſimus, merone judicio ex dictis rationibus concorditer lato, an vero certis ex atteſtationibus ſacrorum ipſorum ſcriptorum, concors iſte ſenſus Eccleſiæ totius Chriſtianæ de Scripturarum divinitate exortus ſit: tamen de infallibilitate ejuſdem in aſſerenda eadem aliunde, ex Chriſti nimirum promiſſo, certi ſumus, atque ex eo item, quod Eccleſia innumeras res pro mate-

riis

riis fidei divinæ falſo proponeret, ſi in illa de Scripturarum divinitate ſententia tam concordi a vero aberraret. Hanc reſponſionem eximio ſcriptori, de quo dixi, ipſimet ſic probatum iri confido, ut in ea nihil ſingillatim a ſententia mea diſcrepet, ſi ſemel mecum Eccleſiæ Chriſti judicium falli neſcium in univerſis rebus fidei a Chriſto attributum concedat. Sed enim

** *Opponunt* hac in parte 2) communiter DDi Proteſtantes Catholicis, circulum aperte vitioſum ab his committi, & Scripturæ divinitatem per Eccleſiæ auctoritatem, iſtamque viciſſim ex divina ſcripturæ atteſtatione probari. *Ego vero* fidem veſtram requiro, viri æſtimatiſſimi! Probavi equidem in Dem. Cath. §§. 207. 81. 84. auctoritatem illam falli neſciam judicii Eccleſiæ in rebus fidei ex divinis Chriſti ipſius verbis; ſed nuſquam hæc aliter in Evangeliis quam mere humanitus, quamquam fide ſumma humana, ab Apoſtolis conſcripta ſuppoſui. Non ergo Eccleſiæ auctoritatem illam ex Scripturæ divinitus ſcripta atteſtatione, ſed ex locutione divina Chriſti probamus, quam interim ſolum humana fide ſcriptam aſſumimus. Evidenter itaque abeſt circulus in demonſtratione noſtra. Unde hoc ipſo, non alio ſenſu, pridem S. Auguſtinus celebre illud dictum edidit contra Epiſt. fundam. C. 5: *Evangelio non crederem* (ſcilicet non in omnibus) *niſi Eccleſiæ auctoritas me moveret.* Eſt enim notior iſta Eccleſiæ auctoritas, quam rerum omnium divina in Scripturis exaratio.

*** *Opponunt* 3.) *velut a priori.* DEUS non facit miracula ſine neceſſitate. Atqui nulla erat neceſſitas ſupernaturalis influxus DEI in ſcripturas ſacras ad hoc, ut ſervirent perpetuo veluti pro tabulario publico & ſumme authentico dogmatum chriſtianæ religionis a Chriſto traditorum. Neque enim ſine tali miraculo deerat ſacris ſcriptoribus ſeu ſufficiens rerum ſcriptarum notitia naturalis, neque

neque fides authentica & ſinceritas. *Addunt:* ſatis ſaltem futurum fuiſſe, ſi illorum ſcripta mere humanitus exarata, poſtmodum relecta probaſſet vir aliquis, ex. gr. Apoſtolus, a DEO hac in parte illuſtratus, & auctoritate præditus. *Reſpon.* 1.) quid ſacris ſcriptoribus neceſſarium de altiore concurſu DEI fuerit; ſcitiſſime perſpexerit ipſe DEUS. Si ergo ſemel aliunde ſatis de immediato DEI influxu ex Eccleſiæ judicio conſtet; inferamus oportet, illius immediati influxus determinatam neceſſitatem DEO probe perſpectam fuiſſe. 2.) DEUS etiam ſolius utilitatis & majoris ſalutis cauſſa miracula facit; ſi hæc ad iſtam *neceſſaria* eſſe, nec illam ſine his obtineri poſſe intelligit. Atqui utile profecto, imo neceſſarium eſſe hoc miraculum potuit, ut ſacri ſcriptores nuſpiam etiam in dogmatis, præſertim profundioribus, referendis errarent: ad quem certe finem Chriſtus Apoſtolis S. Spiritum promiſit: item ut ne quid utilium dogmatum oblivione quadam, vel neglectu omitterent. Denique neceſſarium eſſe provideri potuit, ut ne SS. Scriptores errarent in reliqua narratione hiſtorica: de quo errore ſi poſtea convincerentur, fides illorum etiam in dogmatis referendis redderetur ſuſpecta. Vide dicta §. 28. not. Et vero cur Theiſtæ multi tantopere elaborant in erroribus chronologicis, hiſtoricis, geographicis &c. &c. in Ss. Scriptura detegendis; niſi ut per iſtos fidem Ss. Scriptoribus etiam in divinis revelationibus referendis eripiant?

**** *Opponunt* 4.) *a poſteriori*, & ex notis intrinſecis conſtare, Scripturas non eſſe divinitus ſcriptas. Nam 1.) ſæpe obſcuræ ſunt; linguæ & ſtyli imperitia, aliisque defectibus laborant paſſim. 2.) Antilogiæ plurimæ in illis occurrunt. 3.) Subinde in illis contra bonos mores peccatur, tum *facto*, uti cum Pſaltes Pſ. CVIII. male inimicis ſuis imprecatur; S. Paulus Act. XXIII. 3. ſummum ſacerdotem convitiatur, eidemque

que male precatur, &c. tum *doctrina*, ut cum Chriſtus Matth. V. 43. dixiſſe fertur: *dictum eſt antiquis: odio habebis inimicum tuum.* 4.) Alias certi errores hiſtorici deprehenduntur. Sic Matthæus XXVII. 9. pro Zacharia citat falſo Jeremiam. Marcus I. 2. loco Malachiæ allegat Iſajam. *Reſp. ad* 1. Id ſolum probat, divinam directionem ſolum ad id ſeſe extendiſſe, ut ne falſum uſpiam ſcriberent. Cur obſcuritatem permiſerit DEUS; infra dicam proprio loco. *Ad* 2. Antilogias eſſe mere apparentes, & ſolvi ab interpretibus: etſi non omnes aperte explicari poſſunt, in cauſſa eſt aliquis defectus eruditionis circa mores & regionis indolem, chronologiæ certioris, Geographiæ &c.&c. *Ad* 3. Prophetæ manſuetiſſimi non imprecationes malæ, ſed vaticinia ſunt, queis obventura oppreſſoribus innocentum a DEO ſupplicia prædicit. Paſſim enim Hebræi futurum Indicativi & Imperativum inter ſe permutare ſolent. *Conſtitue ſuper eum peccatorem*, idem eſt ac *conſtitues.* Act. XXIII.etſi facto materialiter ſaltem erraſſet S.Paulus; tamen divinitus ſcribi factum a S. Luca potuit. Interim potuit S. Paulus DEI inſpiratione moveri ad exprobrandam ſummo Sacerdoti etiam ſibi ignoto hypocriſin, quod accuſans ipſe Paulum violatæ legis, actu contra legem peccaret jubendo ipſum percuti. Chriſtus Matth. V. non dicit, lege Moſis præceptum fuiſſe inimicorum odium, ſed mala interpretatione Judæorum id licitum fuiſſe creditum. *Ad* 4. Error Matthæi ex opinione Origenis, Euſebii Cæſareenſis L. Demonſt. Evang. Dem. 4., & S. Hieronymi in Pſal. 77. a librariis deſcribentibus primum exortus eſt. Opinantur alii, eandem ſententiam olim & apud Jeremiam ſcriptam extitiſſe; ſed non omnia amplius Jeremiæ ſcripta & vaticinia extare. Interim in fonte Syriaco nullius prophetæ nomen expreſſum legitur, ſat veriſimili indicio, Jeremiæ nomen non eſſe Matthæi autographon, ſed merum gloſſema, quod margini forte adſcriptum per librarios, de-

mum in græcum & latinum irrepſerit. In Marco ex mente S. Chryſoſtomi illa verba, *ſicut ſcriptum eſt in Iſaja*, non referuntur ad omnia ea, quæ ſequuntur; ſed ad id tantum, *vox clamantis in deſerto &c.* Illa vero, *ecce! ego mitto angelum meum &c.* tanquam de ſuo Evangeliſta addidit; quod facere jure potuit; quamvis eadem in alio Propheta reperiantur. *S. Hieronymus* ait, Evangeliſtam non de verbis, ſed de ſenſu fuiſſe ſolicitum: omnia vero illa quæ ibi ſequuntur, ab Iſaja ſcripta fuiſſe, non ſecundum verba quidem, ſed ſecundum ſenſum; qui enim *vocem clamantem &c.* aperte dixit, is angelum eundem eſſe ſenſit, qui viam Domino præpararet. Addi ſecundum reſponſum S. Hieronymi poteſt: Malachiam non niſi repetiiſſe Iſajæ vaticinium, nulla re nova addita: proin utriusque prophetæ expreſſionem repetiiſſe Marcum, ſed non niſi eum allegaſſe Prophetam, qui primus illius auctor extitit.

***** *Opponunt* 5.) teſtimonia ipſorum SS. Scriptorum potius contrarium innuere. Nam aliqui aperte profitentur ſe ſcribere: *quæ* ipſi *viderint, & audierint*, uti S. Joannes I. epiſt. I. 1. & S. Lucas ait, ſe *omnia a principio diligenter aſſecutum eſſe ab iis, qui ab initio ipſi viderunt, & tradiderunt nobis.* Veteris teſtamenti ſcriptores allegant documenta publica, ex. gr. librum bellorum Domini &c. *Adde*: SS. Scriptores ſaltem nuſpiam teſtari de ſuæ ſcriptionis divina inſpiratione & directione; idque ſilentium ipſum ſatis pro contrario probare. *Reſp.* Illa teſtimonia tantum probant, SS. Scriptores non omnia, quæ ſcripſere, nova revelatione divina ſub ipſa ſcriptione accepiſſe; ſed ſolum motos eſſe inſpiratione ad ea ſcribenda, quæ alioquin perſpecta ſatis habebant, & directos divinitus, ne falſum uſpiam miſcerent (15.). *Quod attinet ſilentium* eorundem de divina inſpiratione & directione ſua: certum eſt, vel teſtatos fuiſſe ipſos SS. Scriptores de illa; ſi Eccleſia hoc factum didicit ex eorundem immediato teſtimonio;

nio; vel, ſi Eccleſia etiam ſolummodo communi quodam judicio intulit illorum inſpirationem divinam generalem, ex teſtimoniis quidem Chriſti & Apoſtolorum de veteri teſtamento (23. 25.), ex Chriſti promiſſione vero Apoſtolis facta de novo teſtamento, hanc ſeu traditionem Eccleſiæ, ſeu judicium, de iſto facto falſum eſſe non poſſe (31. not. 1.)

§. IV. *De qualitate & gradu influxus immediati divinæ auctoritatis in Scripturas Sacras: ex quo plane oſtenditur, SS. Scripturas non poſſe unicam ſufficientem fidei regulam conficere.*

32.

Facta historica huc spectantia. 1) SS. Patres Chriſtianæ Eccleſiæ plerique vel confuſe exprimunt gradum divinæ inſpirationis SS. Scriptorum, vel hos ut meros Amanuenſes DEI, & inſtrumenta phyſica, vel ſaltem moralia deſcribunt. Vide ſupra §. 30. inprimis *Juſtinum M.*, *S. Ambroſium* &c. *S. Chryſoſtomus* in hom. XV. in Geneſ. C. 2. ait, *in omni verbo & ſyllaba Scripturæ theſaurum ineſſe, nec eſſe niſi verba Spiritus Sancti.* 2) Interim ſunt aliqui ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui parcius de iſta re jam primis ſeculis ſenſere. Sic *Papias* apud Euſeb. III. 39. ſcripſit: *S Marcum ſermones & facta Chriſti præciſe ex memoria narrare, prout ea tenuiſſet ex narratione S. Petri; indeque nec illos verbis ipſis Chriſti, quæ ipſe non audiiſſet, nec iſta ordine temporis referre. S. Hieronymus* S. Pauli dictionem ſæpius perſtringit ceu vitioſam. Nam in Pſal. LXXXI. de illo ait: *videte Paulum, qui ſolæciſmos facit in loquendo, & totum orbem ſubegit.* In Epiſt. ad Epheſ. III. dicit, illum *ſermone triviali uti;* ſicque paſſim illum corripit Hieronymus, ut Apologiam denique hac in parte pro ſe ſcribere

bere neceſſe habuerit. *Nos*, inquit in Epiſt. ad Gal. III. (Tom. IX. p. 170.) *quotiescunque ſolœciſmos, aut tale quid adnotamus, non Apoſtolum pulſamus, ut malevoli criminantur* &c. & ad Gal. VI. (pag. 198.) de eodem Apoſtolo ait: *quod profundos ſenſus aliena lingua exprimere non valuerit, nec curarit magnopere de verbis; cum ſenſum baberet in tuto.* Et ad Tit. I. (p. 243.): *non juxta humilitatem, ut plerique æſtimant, ſed vere dixit Paulus, ſe ſermone imperitum eſſe.* Denique ad Gal. III. (p. 176.) dicit, *ſtultum cum ſtultis Galatis factum, ſimplicioribus ſolummodo uſum argumentis, & quæ ſtulti poſſent intelligere, & pæne de trivio; adeo, ut, niſi præmiſiſſet, ſecundum hominem dico, ſapientibus diſplicere poſſet.* Enimvero hæc ſatis innuunt, Hieronymum non crediſiſſe, S. Paulo ſcribenti omnia verba dictata fuiſſe. Similia vero de illo ſcribit ad Algaſiam q. 11. p. 169. & ad Hidibiam q. 11. *S. Baſilius* L. V. contra Eunomium cap. penult. aperte hoc diſcrimen aſſerit inter ipſum loquentem DEI ſpiritum, & inter quemvis hominem ex. gr. S. Paulum ſcribentem; neque quod DEI ſpiritus ſemper loquatur, quæ DEI ſunt; homo autem aliquando ſua, aliquando, quæ DEI ſunt, loquatur: ſolius autem ſpiritus DEI verba omnia DEI ipſius verba eſſe; non item ea, quæ S. Paulus de ſuo dixit; ſcribens: *de virginibus præceptum non habeo.* Ubi ſane S. Baſilius ſolum negat, S. Paulum ibi non DEI verba proferre; non item, quod is ipſe ſuum verbum proferat dirigente DEO, ne erret. 3) A. 1587. Duacenſis, & a. 1588. Lovanienſis. Academiæ damnavere has theſes a. 1586. a Leſſio & Hamelio Jeſuitis traditas. I. *Ut aliquid ſit Scriptura ſacra, non eſt neceſſarium ſingula ejus verba inſpirata eſſe a Spiritu ſancto.* II. *Non eſt neceſſarium, ut ſingulæ veritates & ſententiæ ſint*

immediate a Spiritu ſancto ipſi ſcriptori inſpirata. III. *Liber aliquis (qualis forte eſt ſecundus Machabæorum) humana induſtria ſine aſſiſtentia ſpiritus ſancti ſcriptus, ſi ſpiritus ſanctus poſtea teſtetur, nihil ibi eſſe falſum, efficitur Scriptura ſacra.* Interim faſſi ſunt Theologi prædicti Societatis JESU, parentheſin poſtremæ propoſitionis, quæ eſt de ſecundo libro Machabæorum delendam eſſe: fateri enim ſe, illum eſſe divinitus ſcriptum; ſe vero quæſtionem ſolum propoſuiſſe de poſſibili, non de facto. Vide dicta §. 18. Interim nomine *inſpirationis*, quod in prop. 2da negabant eſſe neceſſariam, intelligebant Theologi illi novam *revelationem*, non autem motionem internam & *excitationem* ad hoc præ alic ſcribendum; ut patet ex Leſſii reſponſione ad Cenſuram Lovanienſem: iſtam quippe ipſi requirebant ad omnes veritates & ſententias. Cenſebant itaque, *prophetias & dogmata fidei* SS. Scriptores, vel ante, vel ſub ipſam ſcriptionem, omnia accepiſſe immediata DEI revelatione; *hiſtorias* & *facta*, quorum ipſi teſtes immediati fuerant, vel quæ a certis & indubitatis teſtibus immediatis audierant, ſine ſpeciali revelatione, non tamen ſine inſpiratione & directione divina (15. n. 1. & 2.) ſcripſiſſe e propria memoria: verba denique, dictionem, & ſtylum cujusque ſcriptoris ingenio, indoli, ac peritiæ relicta fuiſſe. 4) Et vero primas duas propoſitiones jam ante annos amplius quinquaginta docuerat *Cajetanus* comment. in Lucam; *Melchior Canus* de Locis Theol. L. II. cap. 18. Poſt illam Cenſuram Jeſuitis Lovanienſibus adhuc conſenſere Bellarminus Tom. II. de Verbo DEI c. 15: *Cornelius a Lapide* in II. Tim. III. 16. *Bonfrerius* in Pentat. *Fraſſen* diſquiſ. Bibl. *Calmet* in Diſſert. de SS. Librorum inſpiratione, *Tournely* Tom. I. Diſput. prævia. q. 4. de loc. Theol. aliique plurimi.

* Cum

* Cum Tridentinum (30. not.) ab hac quæſtione prorſus abſtrahat, nec SS. Patres in ejus ſolutione conſentiant; patet, controverſiam mere ſcholaſticam eſſe de gradu inſpirationis divinæ, ſeu immediati influxus divinæ auctoritatis, in SS. Scripturas. Interim tamen, cum ab hac quæſtione regulæ quædam magni momenti dependeant, quæ in SS. Scripturarum interpretatione obſervandæ ſunt aliæ atque aliæ, pro eo atque in hanc vel illam partem quæſtio iſta deciſa fuerit, breviter quidem, non tamen indiligenter, ſed per propoſitiones probe determinatas (ut in Logica vocamus) eam reſolvere placet.

33.

In SS. Scripturis plurima continentur, quæ DEUS ipſe immediate vel ipſis SS. Scriptoribus, vel aliis revelavit, ex quibus ea SS. Scriptores immediate acceperunt. Talia ſunt tum prophetiæ omnes, tum univerſum ſyſtema religionis, tam veteris Judaicæ, tum Chriſtianæ; item quæcunque in eis referuntur ceu locutiones immediatæ ipſius DEI ad homines ſeu ſingulares, ſeu ad integram plebem &c.

34.

DEUS ut plurimum in SS. Scripturis non ipſe immediate loquitur, ſed ſolum SS. Scriptores, quos ipſos immediate loqui permittit, inſpiratione ſua movet, ut ea præciſe loquantur, vel ſcribant, quæ actu ſcribunt, ſimulque dirigit ita, ut ne unquam falſum ſcribant. Ss. Scriptores enim paſſim & conſtanter ſic ſcribunt, & in ſuis ſcriptis loquuntur, ut nuſpiam fere profiteantur, DEUM ipſum immediate per ſe loqui, ita, ut ex ipſis ſingulorum propriis ſcriptis immediate ne quidem colligere poſſemus, eos ſingillatim ſub inſpiratione & directione divina loqui; niſi id ex ſenſu Eccleſiæ, vel Chriſti

teſtimonio, aut promiſſo (23. 22.) nobis innoteſceret. Non enim, quid DEUS de rebus, quas ſcribunt, de factis juxta ac dogmatis propoſitis, judicet, DEUS ipſe ſignificat in Ss. Scripturis; ſed ſoli ferme Scriptores loquuntur, & produnt ſua judicia tum de factis, tum de accepta a DEO notitia dogmatum. Unde dogmata revelata & prophetias ipſas narrant ipſi, non DEUS per illos. Ipſi referunt verba Chriſti; ipſi docent; probant dogmata ſua ſubinde; obſecrant; excuſant libertatem ſcribendi (Rom. XV. 15.); petunt ſibi conniveri errores, imo fatentur ſe contraxiſſe in ſynopſin jam ſcripta ab aliis, ut auctor II. Machab. II. 25; ajunt ſe *minus ſapienter* loqui (II. Cor. XI. 1.) In Apoſtolis ſcribentibus ipſum munus Apoſtolicum exigebat, ut ipſi ſuo nomine loquerentur; probarent ſæpe doctrinas ſuas; ſicuti Chriſtus ipſe ſua aſſerta ſæpe probabat ex veteri teſtamento. Ipſi Prophetæ ſolum inducunt loquentem DEUM, non ſub ipſa ſcriptione, ſed quæ antehac ipſis in viſione præterita locutus eſſet. Sermones DEI non niſi hiſtorice referunt, dicentes: *hæc dicit Dominus: Dominus juravit: audite cœli! audi terra! quia DEUS hæc locutus eſt.* Denique in quibusque Prophetis proprium ſtyli & dictionis diſcrimen obſervatur, & indoles propria Prophetæ. Atqui iſta ſingula totidem ſunt indicia DEI non immediate loquentis in ſua perſona, ſed loquentis alterius (14.); quem tamen ex Eccleſiæ ſenſu (quæ Ss. Scripturas ſimpliciter divinas judicat (30. 31.) conſtat, DEO inſpirante & dirigente ſcripſiſſe (18). *Denique* de veteris ſcripturæ auctoribus ait S. Petrus II. Epiſt. I. 21. *non voluntate humana, ſed ſpiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti DEI homines.* Ergo etiam de novi teſtamenti auctoribus ſecundum totius Eccleſiæ ſenſum recte id ipſum credimus.

35.

35.

Ss. Scriptores plurima ſcribendo narrant, quæ vel ipſi divina revelatione non accepere omnino, vel ſaltem non ſub ipſa ſcriptione. Plurima enim facta & res ſcribunt, quæ conſtat illis, vel ceu teſtibus oculatis, vel ex id genus teſtium certo teſtimonio, notiſſima fuiſſe absque omni revelatione. *Tum vero* nullo argumento veriſimili probatur, eis de rebus eisdem ſibi alioquin ſatis perſpectis fuiſſe factam de novo revelationem; non aliquo teſtimonio divino; non ipſorum proprio teſtimonio; non ex ſenſu aliquo communi Eccleſiæ ejusque Patrum (32.); non a priori (20.); nec a poſteriori; quippe cum id genus influxus & revelatio DEI nova nullo pacto neceſſaria fuerit ad ea ſcribenda, quæ jam alioquin ſciebant. *Denique* DEUS miracula ſuperflua patrare non ſolet. Atqui id genus nova revelatio profecto miraculum fuiſſet plane ſuperfluum. Ergo &c. &c.

36.

DEUS SS. Scriptoribus ſcribenda non dictavit de verbo ad verbum; ſed verba, horumque ordinem, dictionem, ſtylum (quoad ſalvis dogmatis, & veritate, per verba expreſſis, item ſalva Eccleſiæ utilitate a DEO intenta, fieri poterat) ipſorum ingenio, peritiæ, indoli permiſit. Probatur hoc tum eodem argumento negativo, quo §. præc. uſus ſum; tum vero ex eo, quod ſecus eadem ubique ſtyli & dictionis, imo & peritiæ idiomatis, perfectio, & iſtius idem gradus, relucere in SS. Scripturis univerſis deberet. Atqui multiplex discrimen, & gradus in his diverſiſſimus perfectionis obſervatur in diverſis ſacris libris. Non eadem eſt claritas & diſtinctio in methodo proponendi in Iſaja & Jeremia; licet, paucis exceptis, idem argumentum tractent:

prior admodum obſcurus, clariſſimus alter eſt. Ceterum Iſajas, homo nobilis & urbanus, elegante, Ezechiel temperato, Amos paſtor duro & inculto ſermone utitur. Pſalmi multo majorem peritiam * poëticam, quam libri hiſtorici hiſtoricam præ ſe ferunt. Attamen DEUS profecto æque bonus hiſtoricus ac Poëta eſt. Novi teſtamenti ſcriptores Græcum loquuntur, quale Judæis fere tunc uſitatum erat. Paulus longas parentheſes amat. Joannes ſermone diffuſo, ac ſubinde tavtologia utitur. Marcus initio pæne nimium brevis; poſtea vero ſatis prolixus ſæpe in ſua narratione eſt. Lucas, ut græci ſermonis peritior erat, ita multo elegantius ceteris ſcribit, Hieronymo ipſo id adnotante.

* Dixi: *quoad ſalvis dogmatis &c. fieri poterat.* Nam ſpecialem divinum influxum etiam ſæpiſſime ad ipſum verborum delectum ſeſe extendiſſe, patet tum ex eo, quod verba eſſent media ad ſenſum & res rite & ex vero exprimendas: ergo ſi res divino ſpeciali concurſu ſcribebantur, etiam DEUS efficere ſuo influxu debebat, ut ne verba inepta, aut falſum exprimentia, aut plane non intelligibilia a SS. ſcriptoribus adhiberentur, præſertim in dogmatis ſubinde obſcurioribus difficilioribusque exprimendis, explicandis, & probandis: tum ex eo, quod Chriſtus & Apoſtoli, dogmata fidei probaturi, in ipſis verbis SS. Scripturæ veteris teſtamenti ſe præcipue non ſemel fundent. Sic Chriſtus ex eo, quod Pſalmiſta Pſ. LXXXI. Magiſtratus publicos *Deos* vocet, *ego dixi: Dii eſtis;* item quod David Meſſiam vocet *Dominum* Pſ. CIX., & S. Paulus ex eo, quod in Pſ. II. Meſſias a DEO Patre *filius* dicatur, *filius meus es tu*, probant divinitatem perſonæ iſtius.

37.

Sacra Scriptura, prout nunc reipſa etiam divinitus

nitus ſcripta extat, non poteſt eſſe regula ſe ſola ſufficiens, aut communiter ſufficiens univerſale medium reſpectu vulgi hominum ad cognoſcenda omnia dogmata religionis, quæ Chriſtus docuit, & ab Apoſtolis ſuis omnes homines doceri voluit: ſive: *moraliter ſaltem impoſſibile eſt, ut vulgus hominum ex ſolis Scripturis diſcat omnia dogmata a Chriſto tradita; prout tamen ea doceri omnes Chriſtus certo voluit.* Demonſtro iſtud ea ipſa demonſtratione, qua in Dem. Evang. §. 48. demonſtravi moralem impoſſibilitatem, ut homines vulgo ſine divina revelatione perveniant in notitiam dogmatum religionis etiam ſolum naturalis. Nam ex ſolis SS. Scripturis vulgus hominum, ſeu homines Chriſtiani communiter, dogmata a Chriſto tradita diſcere non poſſunt, niſi ope certæ interpretationis & intellectionis ipſarum Scripturarum. Atqui hanc obtinere homines Chriſtiani communiter ſaltem moraliter non poſſunt *nec per viam demonſtrationis* naturalis, ob imperitiam in linguis autographis, & obſcuritatem inſitam ſcripturarum (Dem. Cathol. §. 82.), atque ipſorum Codicum autographorum, Græcorum inprimis, plurimas variationes & originalium exemplorum defectum: *nec per viam auctoritatis mere humanæ*, ob incertam peritiam & fidem verſorum, tum latinorum, tum vernaculorum, et ſummam eorundem inter ſe variationem: *nec per viam auctoritatis immediatæ divinæ, ſive DEI revelantis interius, vel exterius, ſenſum Scripturæ;* quia DEUS nec ſingillatim, nec publice quid porro revelat: qui enim ſpiritum privatum, id eſt, privatas DEI revelationes de ſenſu vero Scripturæ allegant, ſibi mentiri poſſunt, non mihi, nec aliis, qui tales nullas experimur, nec in nobis diſcernere poſſumus. Alia denique veritatis criteria circa ſenſum genuinum ſcripturæ alicuius locum non habent; quippe qui

nec ſub *ſenſum communem*, nec ſub *ſenſum externum*, nec *intimum* cadit. Ergo

* Cui criteriorum veritatis doctrina completa perſpecta ex bona Logica eſt, is certo advertet, demonſtrationem iſtam de inſufficientia Scripturarum in ratione regulæ completæ credendorum æque perfectam eſſe, atque illam quam in Demonſtrat. Evang, de inſufficientia ſolius naturalis rationis in noſcenda religione naturali attuli; ac proinde quam præter iſtam nobis moraliter neceſſaria fuit revelatio divina; tam item moraliter nobis præter SS. Scripturas neceſſariam eſſe aliam adhuc regulam, vel potius Magiſterium, quod ipſam ſcripturam fidelium multitudini communiter interpretetur.

38.

Suppoſito, quod DEUS ipſe immediate hominibus loqui, aut ſenſum Scripturæ revelare, porro non velit; ſola auctoritas Eccleſiæ a S. Spiritu inſpiratæ, vel ſaltem directæ (18) *criterium eſt univerſe idoneum ac ſufficiens pro omnibus Chriſtianis, doctis æque ac rudibus, in cognoſcendis certa notitia omnibus quibuscunque dogmatis a Chriſto immediate traditis, & in ipſo intelligendo ſenſu SS. Scripturarum.* Nec enim ratio naturalis demonſtrativa, nec ſenſus communis naturæ, nec ipſa Scriptura, nec auctoritas aliqua mere humana ad hoc ſufficit (præc. in demonſtratione ipſa): ergo ſolum aliqua auctoritas divina ſufficere poteſt. Atqui inſpiratio & directio divina ſaltem quoad res ſcriptas in ſcriptoribus ſacris ſufficit jam, ut eorum ſcripta evadant divina, & divinam obtineant auctoritatem (18). Ergo etiam Eccleſiæ oracula, ſi DEO inſpirante & dirigente edantur tum circa dogmata a Chriſto tradita, tum circa ipſum ſenſum SS. Scripturarum, in his item obtinebunt auctoritatem reipſa itidem divinam: ac pro-

proinde, ſi de hac inſpiratione & directione divina oraculorum Eccleſiæ ſatis certo conſtet; eadem erunt criterium unice idoneum & ſufficiens &c. ſuppoſito, quod DEUS ipſe immediate nobis porro loqui & aliqua revelare porro non velit.

39.

I. *Sicut itaque ex Scriptura Evangelica, adhuc ſpectata ceu pura (ſed ſumma) fide humana ſcripta, certo jam alias conſtat, Eccleſiæ rectoribus, cum ejusdem capite & fundamento unitis, competere auctoritatem falli neſciam in univerſis dogmatis fidei, & morum, a Chriſto traditis, promulgandis ac declarandis* (Demonſtr. Cathol. §. 207.); imo ſicut ex iſto unico capite directe ex ipſo teſtimonio divino probatur divina inſpiratio & directio Apoſtolorum Chriſti in ſuis ſcripturis ſaltem quoad eadem dogmata (22.): *ita viciſſim ex modo & obſcuritate multiplici, qua SS. Scripturæ conſcriptæ ſunt, velut a poſteriori recte infertur neceſſitas iſtiusmodi auctoritatis falli neſciæ, non ſolis Apoſtolis a Chriſto collatæ, ſed conſervandæ in eorum ſucceſſoribus in omne ævum.* Neque enim alia niſi divina auctoritas explicandæ obſcuritati Scripturarum in rebus quidem graviſſimis ſufficere poteſt; ex. gr. de neceſſitate baptiſmi in parvulis, de veritate præſentiæ Chriſti in SS. Euchariſtia &c. Atqui auctoritas divina vel *directe* novis revelationibus & propria DEI locutione, vel inſpiratione ſolum & directione loquentis alterius indirecte, exerere ſe poteſt (14.).

40.

II. *Finis itaque DEI inſpirantis & dirigentis SS. Scriptores non potuit eſſe plena Chriſtianorum de univerſis dogmatis fidei per ſolas ſcripturas inſtructio & certa inſtitutio* (37. 38. 39.): *ſed ſolum* primo;

ut

ut de inſtitutione divina utriusque Eccleſiaſticæ ſocietatis, Judaicæ, & Chriſtianæ, ſub certa lege fundamentali & determinata regiminis forma, authenticum documentum ab oculatis ferme, vel certe proximis teſtibus publice conſcriptum, extaret; ſine quo utriusque illius Eccleſiæ auctoritas & poteſtas legislatrix in decurſu ſeculorum ſatis conteſtari non poſſet: ſecundo, *ut doctrinæ ſemper ejusdem ab Eccleſiæ rectoribus in omni decurſu temporum Chriſti nomine proponendæ antiquitas & divina origo ſaltem in plerisque magisque neceſſariis capitibus etiam alio quodam ex criterio, divinam auctoritatem habente, id eſt, ex Scripturis divinis multis ſaltem in locis ſatis claræ (Dem. Cath. ſ. 83.), adverſus eos probari facilius poſſet, qui pravis affectibus abrepti, ſolius Eccleſiæ viva oracula eſſent contemturi:* tertio denique, *quatenus etiam facta & res a dogmatis diverſas divinus ille immediatus ac ſpecialis influxus attingit; ut ne error aliquis in his rebus & factis narrandis commiſſus, quæ ſæpe ad ipſa dogmata, vel ad occaſiones factæ divinæ inſtitutionis intelligendas neceſſariæ ſunt, abſolutæ auctoritati ſcriptorum & ſcripturarum præjudicium crearet (28. not.).*

41.

III. *Unde ex hoc fine gradus æque ac modus divinæ inſpirationis atque directionis, SS Scriptoribus adhibitus, metiendus eſt: ſiquidem Scripturæ univerſæ* non niſi medii rationem reſpectu illorum finium habent; cujus perfectam aptitudinem ope illius ſpecialis divini in ipſas influxus obtinuere.

42.

IV. *Non niſi ope iſtiusmodi conceptus de fine Scripturarum, & divinæ illarum inſpirationis ad eos fines limitatæ, explicari poſſunt variæ apparentes illarum*

rum imperfectiones; quæ tamen ſub eo ipſo conceptu nullam formalem imperfectionem Scripturarum in ratione medii ad fines a DEO intentos important; nec vero, ceu in opere eatenus vere divino, importare poſſunt. Nam 1) *in ipſo argumento* SS. Scripturarum nullum certum propoſitum communis ſyſtematis, nec commune quoddam conſilium apparet, SS. Scriptores ſalutis univerſas doctrinas & completam iſtarum Synopſin ſcribere collata opera decreviſſent; ſed ſinguli illorum ſolum pro data occaſione, & pro neceſſitate immediate præſentium lectorum ſuorum hanc, vel illam doctrinam in particulari, nunc brevius, nunc diffuſius, eandemque ſubinde ſæpius repetitam, explanarunt; certi videlicet, ceteræ neceſſariæ inſtructioni Magiſterium Eccleſiæ nullo tempore defuturum. Quid? quod doctrinæ graviſſimæ ſæpe minus diligenter & diſtincte, quam minus neceſſariæ, explicentur; ex. gr. *de baptiſmi in parvulis neceſſitate;* quibus tamen unicum eſt ſalutis remedium; *de fide ad ſalutem neceſſaria;* an debeat eſſe proprie talis, & qualium veritatum; *de peccato originali* non niſi ad Romanos Apoſtolus ſatis diſtincte loquitur. Moſes contra bis leges deſcribit. Regum hiſtoria bis repetitur. Eadem dicta moralia in Salomone bis occurrunt. Nimirum iſta omnia probe concipiuntur, ſi a ſingulis non ex communi aliquo conſilio & fine univerſis Eccleſiæ neceſſitatibus collata opera ſimul & ſemel in omne tempus proſpiciendi, ſed ex cujusque ſingulari ac præſente ſolum propoſito & fine immediato, ac pro particulari neceſſitate, ſcripta, atque eodem propoſito a DEO ſcriptio directe inſpirata fuiſſe aſſumantur. Ex adverſo ſi DEI ſolius, hoc uno remedio Scripturarum univerſæ fidelium inſtructioni proſpicientis, conſilio, revelatione, & dictatu ſingulorum, ſecundum conceptum vulgarem inprimis Acatholicorum, & pro unica

unica regula fidei, hæc ita ſcripta ſint: profecto concipi non poteſt, quo pacto DEUS id genus propoſitum conſiliumque ſuum tam imperfecte exequeretur, aut potius plane diſſimularet. Profecto enim, ſi completam atque unice ſufficientem regulam eſſe SS. Scripturas in omne tempus eſſe DEUS voluerit, ut clariſſime in eis ſcriberentur omnes doctrinæ fidei, & in certo ſyſtemate diſpoſitæ, & in idiomate omnibus facile noscendo, procuraverit oportet. Atqui tanto tamque amplo fini illæ, ut modo ſcriptæ ſunt, ne quidem mediocriter pro medio ſufficiunt: ſufficiunt vero prorſus univerſis finibus illis §. 40. recenſitis, ſi ſolum in ſubſidium alterius vivæ regulæ DEI conſilio adjunctæ ſunt, quam Eccleſiæ auctoritas & inſtitutio offert. 2) Alia imperfectio apparens in SS. literis ſunt *Antilogiæ apparentes tum in hiſtoriis factorum, tum in relatione dogmatum*, locis plurimis obſervari ſolitæ. *Priorum* exempla ſunto a) *Matthæus* VIII. 5. narrat *cum JESUS introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum:* Lucas e contra VII. 6. ſic habet: *cum jam non longe eſſet* (JESUS); *miſit ad eum centurio amicos, dicens: Domine! non ſum dignus &c.* b) Matthæus V. 4. refert verba Chriſti: *beati, qui lugent; quoniam conſolabuntur:* S. Lucas vero eadem VI. 21. ſic enuntiat: *beati, qui nunc fletis: quia ridebitis.* c) Matthæus VI. 21. rurſus ita Chriſti verba recitat: *non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine &c*: Lucas contra VI. 46. ſic: *quid vocatis me, Domine, Domine; & non facitis, quæ dico &c.* Quodſi neges forte, ſermonem Chriſti in monte, a Matthæo relatum eundem eſſe cum ejusdem ſermone campeſtri, quem Lucas narrat: d) certe verba inſtitutionis SS. Euchariſtiæ eadem Chriſti verba ſunt; & tamen Matthæus XXVI. 3. Chriſtum ait dixiſſe: *hic eſt ſanguis novi teſtamenti; qui pro multis effundetur:*

ſecun-

ſecundum Lucam vero XXII. 20. eadem ſic habebant: *hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Sed neque *Antilogiarum in dogmatis*, apparentium videlicet, *exempla* deſunt; puta, de ſola *fide ſine operibus juſtificante* apud S. Paulum ad Rom. III. 28., & de eadem *fide ſine operibus mortua* apud S. Jacobum in Epiſt. II. 20. & 24: item *de peccatis in S. Spiritum;* quæ non remiſſum iri dicit Chriſtus Matth. XII., neque in hoc ſeculo, nec in futuro; cum tamen DEUS apud Ezechielem XVIII. 21. pœnitenti omnium iniquitatum veniam pleniſſimam promittat &c. &c. 3) *Citationes*, item quibus ſcriptores novi teſtamenti allegant loca teſtamenti veteris, admodum ſæpe imperfectæ ſunt. Citant ea prorſus, prout tunc, cum ſcriberent, memoria tenebant; nunc ex textu autographo, nunc ex verſione LXX, nunc ex neutro iſtorum; nunc tantum quoad ſenſum & ſubſtantiam, nunc etiam ex verſione non accurata. Enimvero, ſi præter SS. Scripturas alia regula a DEO conſtituta non eſſet; antilogias ſaltem in doctrinis etiam ſolum apparentes prohibere eundem DEUM inſpiratione & directione ſua interna æque oportuerat, atque ipſas falſitates. Rurſus vero ſi inſpiratio & directio divina cum nova revelatione, aut etiam ſolum ſuggeſtione accurata veritatum ſcribendarum, quin & verborum dictatu, conjuncta fuiſſet, numquid DEUS, dictans omnia ſingulis, idem factum idemque dogma diverſis, Lucæ & Matthæo, etiam eodem modo dictaſſet? Certe nullus accuratior ſcriptor idem in diverſis locis diverſo modo narraverit; quin ſaltem variationis rationem aliquam reddat. Idem vero in ſe ipſo citando profecto multo præciſior erit. Evidens itaque eſt, permiſiſſe DEUM SS. Scriptoribus, ut in ſcribendo propria memoriæ & ingenii peritia uterentur; nec aliud feciſſe ut plurimum, niſi ut inſpiratione ſua dogma-

dogmatum ad Eccleſiæ inſtitutionem neceſſariorum ſcriptionem ſatis accuratam ſaltem in omnibus SS. Scriptoribus ſimul junctis procuraret, ac de cetero ſingulos in minimis quibusque rebus conſcribendis ſic dirigeret, ut nunquam falſitatis quidpiam immiſcerent; de cetero vero expreſſionis claritatem, præciſionem, ſelectum etiam adjunctorum facta ſæpe determinantium (ex quorum omiſſione apparentes antilogiæ oriuntur) citationum accurationem &c., ſingulorum propriæ peritiæ, induſtriæ, memoriæ, reflexioni, atque etiam indoli permitteret. Ex quo ipſo patet, *immediatum illum ac ſpecialem DEI influxum in SS. literarum ſcriptionem non ſemper eundem, nec in eodem gradu fuiſſe;* ſed modo cum revelatione conjunctum, modo ſine iſta, modo cum inſpiratione præciſæ veritatis, ejusdemque accurata ſuggeſtione, modo ſolum cum inſpiratione ſubſtantiæ ejusdem; ſemper vero cum directione, errorem excludente; & univerſe neceſſitati præſenti tum SS. Scriptorum, tum totius Eccleſiæ, commenſuratum fuiſſe.

43.

I. *Acatholici quicunque, & in ſpecie DDi. Proteſtantes, qui Eccleſiæ etiam univerſæ judiciis in argumento fidei divinæ auctoritatem falli neſciam & certam DEI directionem abjudicant; nullo certo argumento probare, ſed ſolum conjecturis veriſimilibus divinare poſſunt, SS. Scripturas, præſertim novi teſtamenti, ex integro, & ſecundum omnes rerum & veritatum, in illis aſſertarum, minutias, eſſe divinitus ſcriptas, & virtute immediati influxus divinæ auctoritatis ab omni prorſus errore etiam in factis mere humanis recenſendis immunes.* Patet ex dictis §. 2.

II. *Iidem tamen ſolide ex Chriſti & Apoſtolorum teſtimoniis probare poſſunt eandem divinitatem tum* dogma-

dogmatum in SS. literis conſignatorum, tum ſcriptionis eorundem, in novo quidem teſtamento ſaltem per Apoſtolos, Mattbæum, & Joannem, non item per Marcum & Lucam: quia ſolis Apoſtolis (ceu Epiſcopis) cum Petro conjunctis promiſſiones. §. 22. recenſitæ, a Chriſto factæ ſunt; a quibus *Marci & Lucæ ſcripta ſecundum eadem dogmata quidem judicio falli neſcio approbari, ac proinde aliquam divinam auctoritatem* (17.), *ſed non rationem ſcripturæ divinæ obtinere* (18.) *potuerunt.*

III. *Iidem Acatbolici errant: cum Apoſtolis ſolis divinas illas promiſſiones vendicant, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis item convenire negant, atque idcirco Eccleſiæ judiciis in fidei materia DEI directionem abjudicant:* cum tamen in multis dogmatis a Chriſto traditis ex ipſis Scripturis rite colligendis eadem ſit neceſſitas iſtius privilegii a Chriſto promiſſi, quæ erat ante Scripturas novi teſtamenti conſcriptas, propter Scripturarum ipſarum obſcuritatem, vulgo Chriſtianorum nequaquam perviam (37.); atque Chriſti promiſſa alioquin vi verborum perpetua ſint. *Non prævalebunt portæ inferorum. Vobiſcum ero uſque ad conſummationem ſeculi.*

ARTICULUS II.

DE CANONE DIVINARUM SCRIPTURARUM.

44.

Κάνων, ſeu *regula*, ex uſu Eccleſiæ Chriſtianæ idem eſt atque complexus certorum librorum, ſeu Scripturarum, quæ auctoritate Eccleſiæ pro divi-

nitus ſcriptis, atque idcirco pro regula fidei, publicæ proponuntur.

45.

Triplex autem *Canon* * eſt. Primus eſt *Judæorum*, non ante Eſdram & Nehemiam, ſed ipſa fere horum ætate confectus, forte ab ipſo Esdra. Nonnulli enim Prophetæ exiguo intervallo Esdram præceſſere. Antiquiorem eſſe Machabæis, inde conſtat, quod omnes libri eo canone contenti a LXX. Interpretibus ſub Ptolomæò Philadelpho in Græcum translati dicantur. Communius illi Canoni ſequentes libri tribuuntur; ſcilicet Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judices, Ruth, Samuelis Ius & IIus, IIIius & IVtus Regum; Ius & IIdus Paralipomenon, Ius & IIus Esdræ, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Iſaias, Jeremias & hujus lamentationes, Ezechiel, Daniel, Job, Eſther (de quo aliqui contra ſentiunt), 12 Prophetæ minores.

* Præter libros hoc Canone contentos olim jam extabant alii etiam libri ſacri apud Judæos, ſcilicet Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & duo Machabæorum: imo alios plures in veteri lege a Prophetis conſcriptos fuiſſe, qui amplius non extant, patet ex ipſa S. Scriptura, quæ ſequentes citat, videlicet, Librum bellorum Domini Num. XXI. Librum jnſtorum Joſ. X. Librum verborum Salomonis, Librum verborum Regum Iſraël III. Reg. XIV. Librum verborum Regum Juda. ibid. Librum Samuelis I. Reg. X. Librum Nathan I. Paral. XXIX. Librum Gad ibid. Abiæ Prophetæ III. Reg. V. Addonis prophetæ II. Paral. IX. Jehu prophetæ II. Paral. XX. Choſai prophetæ II. Paral. XXXIII. Salomonis tria millia parabolarum III. Reg. XV.

XV. Salomonis Cantica quinquies mille, & Salomonis Phyſicam ibid. Librum Enoch Epiſt. S. Jud. Epiſtolam Eliæ prophetæ II. Paral. XXI. Jeremiæ deſcriptiones II. Machab. II. Librum dierum Joannis Hircani. Horum ii quidem ſacri habebantur, qui nomine viſionis vel prophetiæ a Scriptura citantur. An divini fuerint, incertum.

** Richardus Simon, Genebrardus, Tournemine, aliique non nulli, ſuſpicati potius ſunt, quam probarunt, *Judæos Helleniſtas*, qui ſcilicet in Ægypto, in Cyrene, ac Cypro morabantur, alium Canonem SS. Librorum habuiſſe, quam *Judæos Hebræos*, id eſt, qui in Aſia habitabant, illumque etiam libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & duos Machabæorum complexum fuiſſe. Nam nullum iſtius diſcriminis veſtigium hiſtoricum extat; & ſiquidem Judæos Helleniſtas prædictos libros inter libros pios & religioſos retuliſſe conſtaret, nondum probaretur, pro divinis ab eisdem habitos fuiſſe contra ſenſa Hebræorum, & inſuperhabito, quod illorum auctores inter Prophetas haud cenſeri conſtaret. Certe ex *Joſephi* Judæi Hebræi teſtimonio ſupra citato (29. n. 4.) patet, nullum hac in parte diſcrimen, nec diſſenſionem, inter Judæos Helleniſtas & Hebræos fuiſſe. Etiam Helleniſtæ Judæi textum hebraicum originalem bibliorum ſemper ipſi verſioni LXX. utut magni a ſe habitæ, præferebant, eidemque nihil addi, nihil demi poſſe absque gravi piaculo certum habebant; id quod *Philo* ipſe Judæus Helleniſta in vita Moſis L. II. affirmat.

*** Non nulli Scriptores Eccleſiaſtici, ut S. Irenæus L. III. C. 25. Clemens Alexandrinus L. I. Stromat., S. Baſilius ep. ad Chilon., exiſtimarunt, SS. libros tempore captivitatis Babylonicæ penitus interiiſſe, & eo modo reſtitutos fuiſſe, quo refertur L. IV. Eſdræ Cap. 14. 19. ſeqq. Sed refutavi iſtud pridem in Demonſtr. Evang. §. 307.; ubi

ubi & illud incertum eſſe oſtendi §. 306., quod ipſi alias S. Hieronymo placuit (in Præfat. in libros Regum) videlicet novas ab Eſdra literas, Chaldæas nempe, veteribus Hebræis fuiſſe in deſcriptione ipſorum SS. librorum ſubſtitutas.

46.

Alter eſt *Canon Catholicorum.* Hunc veriſimile eſt ante S. Joannis Evangeliſtæ obitum *ex novi teſtamenti libris* non niſi quatuor Evangelia adhuc complexum eſſe; quorum illud S. Marci a S. Petro, S. Lucæ a S. Paulo, & rurſus omnia tria reliqua a S. Joanne Evangeliſta approbata fuiſſe legimus apud S. Irenæum III. 1. & Euſebium III. 24. Vide Demonſtr. Evang. §. 248. ubi quidem porro oſtendi, jam primo ſeculo æræ Chriſtianæ in Eccleſiaſtico Canone, apud univerſas Eccleſias recepto, numeratas fuiſſe præter 4. Evangelia 13. Epiſtolas S. Pauli, Primam S. Petri & S. Joannis, & Acta Apoſtolorum a S. Luca conſcripta. Ex adverſo Epiſtolæ ad Hebræos, S. Jacobi, S. Judæ, IIda S. Petri, IIa & IIIia S. Joannis, & Apocalypſis, initio non niſi a particularibus Eccleſiis pro SS. Scripturis receptæ ſunt, nec niſi ſub finem quarti ſeculi conſtat eas communi Eccleſiarum conſenſu in Canonem fuiſſe receptas. Nimirum Apoſtoli ſuas epiſtolas ad peculiares Eccleſias mittebant cum mandato, ut & aliis vicinis Eccleſiis eas communicarent (ad Coloſſ. IV. 16.): atque ita variæ variarum Eccleſiarum SS. librorum collectiones ortæ ſunt, pro eo, atque aliis maturius, tardius aliis, ſcripta Apoſtolica, vel ab Apoſtolis probata, communicabantur. Quod *veteris teſtamenti libros* attinet, ſeculo II. *Melito* Sardenſis (apud Euſeb. IV. 26.) ſeculo III. *Origenes* (ibid. c. 25.), ſeculo IV. S. *Gregorius Nazianzenus*) Opp. Tom. II. pag. 98. *S. Athanaſius* Ep. feſtiv.

ſtiv. 39. ad Ruffinum Opp. Tom. II. pag. 39. 40. *S. Hilarius* Prologo ad L. I. Pſalm. n. 15. *S. Hieronymus* Epiſt. ad Paulinum Opp. Tom. IV. P. 2. pag. 571-574. *Ruffinus* in Expoſit. Symb. Opp. Tom. II. pag. 529., non niſi libros in Canone Hebræo contentos (præc.), ſuo in Canone numerant: ceteros §. præc. not. enumeratos inter *libros* quidem *Eccleſiaſticos*, in Eccleſiis publice prælegi ſolitos, numerant, ſed canonicos tamen, (ſaltem communiter) haberi negant. Sunt itaque inter SS. libros Catholici Canonis hodierni alii *Protocanonici*, qui inde ab initio ab omnibus Eccleſiis catholicis ſemper pro Canonicis ſeu divinis habiti ſunt; alii *deuterocanonici*, ſeu ſecundo loco tales, qui videlicet non inde ab initio ſtatim ab omnibus Eccleſiis catholicis pro talibus agniti ſunt, ſed ſucceſſu temporum primum recepti pro talibus ſunt. *Protocanonici ſunt* ſequentes: Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Job, Pſalterium 150. pſalmorum, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, quatuor majores & duodecim minores Prophetæ, quatuor Evangelia, Actus Apoſtolorum, tredecim Epiſtolæ S. Pauli, una S. Petri, una S. Joannis. *Deuterocanonici ſunt*: Eſther (ſaltem quoad poſtrema ſeptem capita) ex Daniele hymnus trium puerorum, hiſtoria Suſannæ, & Draconis teſte S. Hieronymo Præf. in Daniel. Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Libri duo Machabæorum, ultimum caput S. Marci teſte S. Hieronymo ep. ad Hedib. hiſtoria de Sudore ſanguineo & Angeli apparitione apud S. Lucam teſte S. Hilario L. X. de Trinit. hiſtoria adulteræ apud S. Joannem, Epiſtola ad Hebræos teſte Euſebio H. 3. Epiſtola S. Jacobi teſte eodem III. 23. Epiſtola II. S. Petri eo-

dem teſte VI. 18. ſecunda & tertia S. Joannis eodem teſte III. 25. Epiſtola S. Judæ, & Apocalypſis, teſte eodem III. 28.

47.

Quod jam attinet ad libros deuterocanonicos hujus Canonis Catholici. 1.) certum eſt, libros deuterocanonicos *veteris teſtamenti* Chriſtianos a *Judæis* accepiſſe; qui, etſi, ut Joſephus L. I. contra Appionem affirmat (29. not.) eos in Canone non reponerent, tamen pro ſcriptis probatiſſimis habebant; atque teſte Hieronymo in Præf. in Lib. Judith *hagiographa* appellabant. *Scriptores Eccleſiaſtici Chriſtiani* aliqui ſaltem jam inde a primis Eccleſiæ ſeculis eosdem libros paſſim perinde fere ut Protocanonicos Scripturæ libros citare ſolebant. Iidem cum Scripturis Protocanonicis ex æquo in Eccleſiis publice inter ſacra prælegebantur, ita tamen, ut usque ad finem ſeculi quarti ſenſa diverſarum Eccleſiarum de illorum divinitate & pari cum Protocanonicis libris auctoritate variarent, vel certe vacillarent. 2.) *Deuterocanonici libri novi teſtamenti* citius communem ſatis auctoritatem in Eccleſia Chriſtiana obtinuere, & fere ut conſtare Eccleſiis certo de illorum auctoribus Apoſtolis incipiebat, vel ſaltem quod ab Apoſtolis probati fuiſſent. Ita quidem jam Seculo III. *Origenes* homil. VII. in Joſuam (Opp. Tom. II. p. 412.), ſec. IV. *Ruffinus* in Expoſ. Symb. *Athanaſius* in Epiſt. feſtiv. 39. *Gregorius Naz.* in Opp. Tom. II. pag. 98. *Hieronymus* in Epiſt. ad Paulinum &c. &c, jam pro indubitato omnes libros etiam deuterocanonicos novi teſtamenti inter divinos numerant. 3) Quamdiu dubia & varia erat inter diverſas Eccleſias ſententia de his illisve libris deuterocanonicis; in iis Eccleſiis, quibus eorum divinitas nondum perſuaſa erat,

erat, nomine *librorum Canonicorum* ſolæ Scripturæ vere divinæ veniebant; libri vero deuterocanonici, qui prælegi tamen auctoritate publica in Eccleſiis ſolebant, etſi divini non haberentur, *libri Eccleſiaſtici* vocabantur. Ceteras vero Scripturas, quas, ceu nulla Eccleſiæ auctoritate probatas, legi in Eccleſia permiſſum non erat, *apocryphas* nominabant. Hujus rei teſtes apertos habemus *S. Athanaſium* in Epiſt. ad Ruffin. Tom. II. p. 39. 40. & *Ruffinum* in Expoſit. Symb.; ex quo ipſo utroque teſte diſcimus, ſubinde etiam libros nullo pacto divinos prælegi publice in Eccleſiis conſueviſſe, puta librum *Hermæ* paſtoris, *duas vias*, vel *judicium Petri.* Id ipſum quoque *S. Hieronymus* in Præf. in lib. Salom. de libris Judith & Tobiæ ſingillatim affirmat, *legi* videlicet *quidem* eos *ab Eccleſia*, *ſed inter canonicas Scripturas non recipi.*

4) Atque ita quidem in ſenſu de deuterocanonicis libris variabant Eccleſiæ usque ad finem ſeculi IVti. Tum vero a) *primo* a. 397. comparuit Concilii Carthaginenſis IIIii Canon 47us: *placuit*, *ut præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur* SUB NOMINE DIVINARUM SCRIPTURARUM. *Sunt autem* CANONICÆ SCRIPTURÆ ..... *Salomonis libri quinque* &c. &c.; ubi omnes libri Protocanonici & Deuterocanonici utriusque teſtamenti, a Catholicis vulgo afferti referuntur. Vetuſtus Codex poſt libros novi teſtamenti hanc in fine addit clauſulam: *ſunt igitur libri viginti ſeptem; ita, ut de confirmando* ISTO CANONE *transmarinæ Eccleſiæ conſulantur.* Apud Harduin in fine etiam additur: *hoc etiam fratri noſtro Bonifacio, vel aliis earum partium Epiſcopis, pro confirmando iſto canone innoteſcat: quia a Patribus iſta accepimus legenda. Liceat etiam legi paſſiones Martyrum; cum anniverſarii dies eorum celebrantur.* Sed adnotat in margine

Harduinus, ſpectare iſtud ad Concilium Carthaginenſe VI. anni 419. Conc. Afric. c. 13. Cod. Can. Cap. 46. Et vero non niſi iſtius tempore Bonifacius I. regebat Romanam Eccleſiam. b) Interfuit prædicto Concilio Carthaginenſi III. *S Auguſtinus*, eodemque anno ſcribere incipiens libros ſuos de doctrina Chriſtiana (quos tamen non finiiſſe creditur ante a. 426.) L. II. c. 8. ita ſcripſit: *erit* DIVINARUM SCRIPTURARUM *ſolertiſſimus indagator*, *qui primo totas legerit*, *eas duntaxat*, *quæ appellantur* CANONICÆ.... *In* CANONICIS *autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur; inter quas illæ ſunt*, *quæ Apoſtolicas ſedes habere*, *& epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit itaque hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas*, *quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis catholicis*, *præponat iis*, *quas quædam non accipiunt. In eis vero*, *quæ non accipiuntur ab omnibus*; *præponat eas*, *quas plures gravioresque accipiunt*, *eis*, *quas pauciores minorisve auctoritatis Eccleſiæ tenent . . . Totus autem Canon ſcripturarum*, *in quo iſtam conſiderationem verſandam dicimus*, *his libris continetur:* ſequitur index fere idem, qui Concilii III. Carthaginenſis eſt, niſi quod de libris Salomonis ita habeat: *Salomonis tres*, *Proverbiorum*, *Cantica*, *& Eccleſiaſtes. Nam illi duo libri*, *unus*, *qui Sapientia*, *& alius*, *qui Eccleſiaſticus inſcribitur*, *de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Jeſus filius Sirach eos ſcripſiſſe conſtantiſſime perhibetur. Qui tamen*, *quoniam in auctoritatem recipi meruerunt*, *inter propheticos numerandi ſunt.* c) Ferme eodem tempore, nempe a. 407., *Innocentius I.* rogatus variis quæſitis ab Exuperio Epiſcopo, reſponſ. 7ma eundem Canonem Carthaginenſem eidem tranſcribit, dicens: *qui vero libri in Canonem Sanctarum Scripturarum recipian-*

piantur, *brevis adnexus oſtendit*. Tum fere Canonem Carthaginenſem refert, & ad Salomonis libros delatus, item *Salomonis libros quinque* numerat. Hac Romani Pontificis auctoritate deinceps univerſa latina Eccleſia permota eſt ad eundem Canonem recipiendum.' d) Anno 636. *S. Iſidorus* Hiſpalenſis in L. I. Orig. c. 1. eundem Canonem velut a tota Hiſpaniæ Eccleſia in Toletano IVto Concilio jam a. 633. probatum refert. e) Denique *Concilium Florentinum Oecumenicum* in Decreto ad Armenos eosdem omnes libros recenſens *omnes ſcriptos ab auctoribus ſacris* fuiſſe affirmat: f) ipſum vero *Tridentinum* Seſſ. IV. *anathema* dicit *non recipientibus libros* eosdem *integros pro ſacris & Canonicis*, ac profitetur, ſe omnibus illis libris *ceu præſidiis in confirmandis dogmatibus uſurum.*

* *Gelaſii Imi decretum*, in Concilio Romano 70. Epiſcoporum a. 494. ut fertur, editum, in quo idem Canon proponitur, conſulto prætereo: quia de ejus authentia ſaltem certiſſima argumenta non ſuppetunt. Acatholici ſcriptores eidem notas apocryphi ſcripti plures ineſſe volunt. Nam 1.) vetuſtiores codices, iique melioris notæ (adnotante Cl. Baluzio in notis ad Gratianum p. 444.) illud nunc Damaſo, uti Codex Lucenſis fere mille annorum (de quo Clariſſ. P. Manſi in Edit. Venet. Hiſtoriæ Eccleſ. Graveſoni Tom. II. p. 22.) ſed omiſſo Canone Scripturarum, nunc Hormiſdæ adſcribunt; qui ab a. 514. usque ad a. 523. Romæ ſedit; ut codex Jurenſis paris antiquitatis, a Chiffleto editus: id quod eſſe indicium volunt, ejus auctorem olim fuiſſe ignotum. 2.) Decreti iſtius, præter prædictos codices incertæ manus, nemo ante annum 840. meminit, id eſt, non ante ætatem falſarum Decretalium Iſidori: imo ne leviſſima Synodi Romanæ a. 494. celebratæ

memoria extat apud ullos Scriptores Eccleſiaſticos: ſed primi hujus mentionem faciunt Lupus Ferrarienſis, Hincmarus Rhemenſis, & Nicolaus I. Papa; qui ſeculo IX. jam adulto floruere. *Dionyſius exiguus* ex adverſo, Gelaſio ætate ſuppar, & jam a. 533. florens, in collectione Decretorum Romanorum Pontificum a Siricio uſque ad Anaſtaſium II. a. 498. defunctum, decreta eo ipſo anno 494. edita recenſens, de illo nec verbum facit. Taceo cetera minoris momenti, quæ hujus Decreti authentiæ opponuntur: de quibus vide Ballerinios fratres in Tomo III. editionis Operum S. Leonis Magni pag. 151. ſeqq. Quamquam & iſta huc uſque allata parum probabunt, ſi illud decretum primum ab Hormiſda Pontifice editum, conformiter Jurenſi Codici, aſſumas. Sed nolim documentis incertis pugnare; maxime quod decreti iſtius authentia etiam admiſſa nihil amplius probet quam Innocentii Imi ad Exuperium epiſtola, a me allegata.

48.

Nullum authenticum extat documentum hiſtoricum de eo, quod vel Chriſtus Dominus, vel Apoſtoli, diſtincte teſtati ſint de integro aliquo determinato Canone Scripturarum; etſi Chriſtus ipſo facto approbaverit Canonem veterum Hebræorum (22.) & ſcripturas apoſtolicas, ſaltem quoad dogmata (23.): ad quas tamen non pertinent Evangelia SS. Marci & Lucæ; uti & Acta Apoſtolorum a S. Luca conſcripta.

49.

Solius ergo judicio Eccleſiæ univerſalis, vel Epiſcoporum cum Capite Eccleſiæ conſentientium, citra erroris periculum certi eſſe poſſumus de integra divinitate vera omnium librorum in quocunque Canone con-

contentorum: cum neque a priori; nec a poſteriori, nec ab ulla alia auctoritate ac teſtimonio, reſcire id certo liceat (27.); tum vero ſenſus Eccleſiæ univerſalis (31.), tum judicium ſolenne Epiſcoporum cum capite conſentientium in proponendo argumento divinæ fidei (quale ſunt res omnes in ſcriptura divina contenta) certo erroris expers ſit. 2) Nemo Acatholicus aliunde quam ex Apoſtolorum judicio & approbatione ſcire poteſt, Evangelia SS. Lucæ & Marci divinas ſcripturas eſſe. Atque eadem eſt Eccleſiæ, per rectores ſuos cum capite quid in materia fidei decernentis, auctoritas, quæ erat Apoſtolorum (Dem. Cath. §. 82.) Ergo Eccleſiæ Canonem rite ut divinum proponenti pari certitudine poſſumus credere, & pari obligatione credere tenemur. 3) Idem ex eo dicto S. Auguſtini manifeſtum eſt, quod habetur in L. contra Epiſt. Manich. C. 5. *Evangelio non crederem* (videlicet in rebus omnibus etiam meri facti §. 28.) *niſi me Eccleſiæ auctoritas moveret.* Vide item §. præc. n. 4. lit. b. ut Auguſtinus unice ad univerſalis Eccleſiæ communem conſenſum nos in iſto argumento remittat. 4) Pari modo *Concilium Toletanum I* a. 400 a novemdecim Epiſcopis celebratum definiit: *ſi quis dixerit, vel crediderit, alias ſcripturas eſſe canonicas, præter eas, quas Eccleſia catholica recipit, anathema ſit.* 5) Denique in Eccleſia Judaica canon hebraicus præciſe auctoritate ipſius ejusdem Eccleſiæ erat conſtitutus; quin niteretur alio teſtimonio authentico divino, vel humano; item quin omnes ſcriptores librorum in eo contentorum eſſent prophetæ, ex. gr. ſcriptor Libri Ruth, librorum Paralipomenon &c. Ergo a pari, imo a fortiori ob promiſſum expreſſum Chriſti Domini, Chriſtianæ Eccleſiæ auctoritas tantundem valere debet.

* Fruſtra ergo opponunt Theologi Proteſtantes cum Do. Chriſtiano Friderico Schmid (de divinitate libri Apocalypſis edit. Germ. Lipſ. 1771. pag. 98. ſeqq.) libros in Canone Hebræorum contentos eſſe a meris Prophetis ſcriptos, novi autem teſtamenti a meris Apoſtolis, vel certe probatos ab iſtis: item illos ab ipſo Chriſto probatos eſſe pro divinis. Nam jam ante adventum Chriſti certi erant Judæi de divinitate ſuarum ſcripturarum; ſecus fidem illorum de illis probare Chriſtus non potuiſſet. Tum vero falſum eſt, omnes Canonis illorum libros propheticos eſſe. Denique Lucæ & Marci ſcripta non ſunt Apoſtolica; & ſi ex approbatione ſola Apoſtolorum vel fieri divina, vel ſaltem declarari authentice pro talibus potuere: cur non idem valebit de omnibus libris deuterocanonicis Canonis Catholicæ Eccleſiæ univerſæ catholicæ judicio pro divinis declaratis; cujus eadem eſt cum Apoſtolis auctoritas? Denique Chriſti teſtimonium ſtricte ad ſola dogmata Canonis Hebraici ſe extendit; uti & promiſſum ejusdem Apoſtolis datum de aſſiſtentia S. Spiritus.

50.

Eccleſiæ priorum ſeculorum ſenſus de divinitate librorum deuterocanonicorum certam abſolutamque regulam usque ad Tridentini Concilii tempus non conficiebat. Namque particulares Eccleſiæ, quæ Canonem univerſum Catholicum recipiebant, atque ipſa etiam Romana per Innocentium Ium in epiſt. ad Exup. (47.) ſe declarans, fidem aliarum & aſſenſum nulla publica & ſolenni lege requirebant. Id quidem de quatuor primis ſeculis, imo & quinto, patet ex regula S. Auguſtini ſupra citata (47. n. 4. lit. b.) ex L. II. de doctrina Chriſtiana; quod opus non abſolvit ante annum 426. ac proinde poſt Innocentii Imi. Papæ epiſtolam. Atque ut de græca Eccleſia adhuc ortho-

orthodoxa exemplum afferam; *S. Joannes Damascenus* adhuc ſeculo VIIIvo non alienus erat ab ea ſententia, quæ ſex libros deuterocanonicos veteris teſtamenti e Canone divinorum librorum proſcribebat, ut videre eſt in ejus L. IV. c. 18. Ipſum concilium Florentinum ſub anathemate non obligabat ad eosdem omnes libros Canonis, Armenis a ſe propoſiti, pro divinis ex integro recipiendos; ſed ſolum omnes *ab auctoribus ſacris ſcriptos* eſſe affirmat, ac de cetero univerſum Canonem ſe approbare ſimpliciter declarat. Adde *Decretum ad Armenos* nec partem eſſe Concilii œcumenici, ſed ſolius Eugenii IV. nec eſſe dogmaticum ita, ut mera dogmata fidei certa proponat, ſed ſubinde etiam meras opiniones theologicas proponere. *Concilium Toletanum I.* (hic n. 4. citatum) prohibet quidem ſub Anathemate alias Scripturas recipi pro Canonicis, præter eas, quas Eccleſia Catholica recipit, videlicet vel ut certas, vel ut dubias; ſed non præſcribit aliis Eccleſiis (uti nec poterat, ceu Concilium particulare) ut recipiant omnes, quas ipſum receperat. Inde eſt, quod Gloſſa in Prooemium S. Hieronymi ſuper omnes divinæ Scripturæ libros, *Joannes* item *Driedo* L. I. de Eccleſ. Dogm., negent librum Baruch eſſe Canonicum: quod *Nicolaus Liranus* ſuper Eſdram C. I. & ſuper Tobiam, *Abulenſis* ſuper Matthæum C. I. *Divus Antoninus* (qui ipſe Florentino Concilio interfuit) P. III. Tit. 18. *Cajetanus* cum aliis locis, tum maxime in fine commentariorum ſuper libros hiſtoricos veteris teſtamenti, reliquos etiam ſex libros deuterocanonicos veteris teſtamenti, in Canone Hebraico non contentos (45. not.) divinos eſſe inficiatur. Et Cajetanus quidem etiam de non nullis deuterocanonicis novi teſtamenti deterius ſenſit. Adhuc anno 1514. editores Bibliorum Complutenſium in Præfat. pag. 2. dicunt de eisdem veteris

ris teſtamenti libris deuterocanonicis: *at vero libri extra Canonem, quos Eccleſia potius ad ædificationem populi, quam ad auctoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam recipit, græcam tantum habent ſcripturam, ſed cum duplici interpretatione, altera b. Hieronymi. altera interlineari de verbo ad verbum.* Denique Bertanus ac Seripandus (teſte Pallavicino in hiſt. Conc. Trid. L. VI. c. 11.) in ipſa deliberatione Seſſioni IVtæ Concilii Tridentini præmiſſa, cum de Canone SS. Scripturarum edendo conſultaretur, propoſuere: *an expediret SS Libros in duas claſſes partiri, alteram eorum, qui ad promovendam populi pietatem pertinent. & illius ergo ſolum ab Eccleſia recepti tanquam boni; cujusmodi videbantur eſſe Proverbiorum & Sapientiæ libri, nondum ab Eccleſia probati tanquam Canonici; tametſi frequens eorum mentio haberetur apud SS. Hieronymum & Auguſtinum, aliosque veteres auctores: alteram eorum quibus etiam fidei dogmata innituntur.* Pergit quidem Pallavicinus continuo referre hoc modo *Ea diviſio, tametſi ab aliquo auctore* (Cajetano videlicet, in fine comment. de libris hiſt. vet. teſt.) *prius facta, & tunc a Seripando* (Auguſtinianorum Generali) *promota per libellum eruditiſſimum ea gratia conſcriptum, quo cuncti libri Canonici rite expenderentur, uti revera firmam rationem non præferebat; ita nec ſua ſpecie Patres allexit, vix nacta laudatorem.* Ut ſi ergo vix probaretur ab ullo; tamen nec damnabatur ceu jam hæretica. Mox quidem ſubdit, eam dubitationem Cajetani in oratione a Cervino Cardinale habita fuiſſe perſtrictam, ceu *ex hæreſeos cloacis hauſtam:* ſed nihil ultra e. deterius accidit. Enimvero ipſe Melchior Canus (de loc. theol. L. II. cap. 11. in reſp. ad argum. tertium) ſupra memoratos auctores, de divinitate plurium librorum deuterocanonicorum ante Tridentini tempus

pus adhuc dubitantes, eo nomine excuſat, quod tunc temporis quæſtio iſta non tam fuerit expedita. Denique anathema pro deinceps recuſantibus aliquem ex libris in Canone propoſitis adjectum eſt votis ſupra viginti Patrum contra quindecim adverſa ſtantibus (Pallav. L. VI. c. 11. n. 8.), non item in eos, qui huc usque jam recuſaverant: etſi *audaciæ* accuſati fuerint.

51.

Tridentinum Concilium Seſſ. IV. ſub anathemate præcepit, ut reciperentur omnes libri, in Canone Catholico, communiter tunc apud Eccleſias jam recepto, *contenti, pro ſacris & Canonicis; ac proinde pro divinam auctoritatem habentibus; ita, ut ex eis univerſis fidei & morum dogmata credenda ſimpliciter riteque probari poſſent.* Sic enim habet cit. Seſſ. . *Perſpiciens SS. Synodus, ſalutarem omnem veritatem & morum diſciplinam, quam Chriſtus per Apoſtolos ſuos omni creaturæ prædicari juſſit, contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus; - - orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quam novi teſtamenti, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, - - pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit, ac veneratur.* Poſt hæc recenſito Indice illorum SS. librorum, porro concludit. *Siquis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit; - - anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipſa Synodus poſt jactum fidei confeſſionis fundamentum* (præcedente enim Seſſ. III. decretum de Symbolo fidei, ceu *fundamentum* unitatis fidei, jam præmiſerat) *ſit*

ſit progreſſura, & quibus potiſſimum teſtimoniis, ac præſidiis, in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus, ſit uſura.

52.

Judicium ſolenne & publicum decretoriumque Concilii Tridentini de univerſis libris Canonis Catholici judicio minus ſolenni privatoque particularium Eccleſiarum, præſertim Romanæ, earundemque communi conſenſu inde a Florentino Concilio certe jam antea obtinente, inprimis nitebatur, ceu præcipua ratione. Ita quidem refert diſtincte Pallavicinus L. VI. c. 11. n. 5. dicens: *ad diſerte comprobanda ea volumina, quæ Canonica cenſerent, Cervinum Cardinalem Patres in peculiari prius, deinde in generali cœtu habita diſſertatione, invitaſſe exemplo & Canone poſtremo Apoſtolorum, ac Trullano Concilio, in quo illorum pleraque recenſerentur, & Laodiceno, eadem plane connumerante, ac tertio Carthaginenſi, quod libros Juditbæ, Tobiæ, & Apocalypſis inter divinos agnoſceret. Conſimilem etiam Syllabum fuiſſe confectum ab SS. Athanaſio & Gregorio Nazianzeno, a quarta ſynodo Toletana, ab Innocentio & Gelaſio Romanis Pontificibus, ac denique a Concilio Florentino.* Ceterum Concilii Florentini Decreto præcipue innixos fuiſſe Patres Tridentinos ex eo patet, quod eodem l. cit. n. 11. poſt inceptam a Patribus diſputationem de traditionibus Pallavicinus itidem narrat. *Novum* ſcribit *argumentum propoſuit Clodienſis, quod validiſſimum videbatur: juvatne, inquit, cœco nos impetu traditiones comprobare, perinde ac ſacras literas recepimus, innixi decreto quaſi a Florentina Synodo confecto, quod nihil ad eam Synodum ſpectat; cum illi finem impoſuerit poſtrema ipſius Seſſio a.* 1439. *decre-*

tum

tum vero obſignatum comperiatur 4ta Februarii anni 1441. Probavit idcirco primus legatus, decretum illud ad Synodum Florentinam pertinere, quæ tres adhuc annos inde ab a. 1439. adhuc perdurarit. Qua in probatione etſi in duplici capite defectus ſit, nempe quod Concilium quidem productum adhuc fuerit, ſed eſſe generale ceſſarit; item quod dogmaticum & decretorium non ſit illud decretum, ceu ſine novo examine rerum, præciſe ad inſtructionem errantium prius in fide Armenorum, confectum: nihilominus, quod Patribus de communi conſenſu omnium Eccleſiarum, & Romanæ inprimis, circa libros Canonicos inde ab eo tempore conſtaret; credebant ſe errare non poſſe, ſi, quod univerſa ſentiret Eccleſia, univerſis item ac ſingulis pro certa & abſoluta ſentiendi regula præſcriberent. Et vero egere in hoc prorſus conformiter regulæ a S. Auguſtino traditæ, quam ſupra §. 47. n. 4. lit. b. ex eodem allegavi.

53.

Tertius Canon eſt *Acatholicorum*, idemque varius apud diverſos ſectarios. Seculo I Simoniani, IIdo Marcionitæ, IIIio Manichæi, quos ſeculo XI. Albigenſes ſecuti ſunt, omnes veteris teſtamenti libros rejecerunt. Primis item tribus jam ſeculis Ebionitæ ſolum Evangelium S. Matthæi, Marcionitæ ſolum S. Lucæ, Valentiniani ſolum S. Joannis Evangelium admiſere, S. Irenæo teſte. Cerdoniani Acta Apoſtolorum, Ebionitæ omnes S. Pauli epiſtolas, Marcionitæ epiſtolas ad Timotheum & Titum rejecerunt. Proteſtantes noſtra quidem ætate novi teſtamenti libros omnes in Catholico Canone contentos, ceu omnes ab ipſis Apoſtolis vel conſcriptos, vel ſaltem probatos, communius admittunt; rejectis ex adverſo libris deuterocanonicis veteris teſta-

 menti,

menti, & ab Hebræo Canone extraneis: quippe non jam porro per Prophetas, uti ceteri eſſent, conſcriptis. Veteres e contra e Proteſtantibus univerſe omnes deuterocanonicos libros utriusque teſtamenti ex æquo repudiabant.

• *Opponunt* vero Doctores Proteſtantium, tum veteres, tum recentiores, varia contra libros deuterocanonicos veteris quidem inprimis teſtamenti, & quidem 1) de veteris, inquiunt, teſtamenti libris Canonicis vetus ſola Eccleſia Judaica ferre teſtimonium poteſt; a qua illos chriſtiana Eccleſia accepit. Atqui &c. &c. Vide §. 45. not. 2. 2) Chriſtus & Apoſtoli tantum approbarunt Scripturas in Canone Hebræorum receptas, non alias (23. 25.). 3) Ex eo, quod Patres primorum ſeculorum libros illos deuterocanonicos veteris teſtamenti perinde uti alios protocanonicos ſæpe allegent, aliud non ſequitur, niſi eos pro libris piis & probatis habitos, & publice idcirco prælegi juſſos fuiſſe; id quod jam apud Judæos in veteri Eccleſia Judaica fuerit in more. Sic enim & libros III. & IV. Eſdræ, Hermæ Paſtorem, aliosve, perinde allegare, & publice iſtorum prælectionem permittere conſuevere. 4) Primo & ſecundo Eccleſiæ ſeculis, quibus nempe nomine *libri Canonici* non niſi vere divinitus ſcripti deſignari ſolebant, vix aliquando a probato ſcriptore dictos libros Canonicorum nomine citari legimus. At tertio & quarto ſeculo, cum innumera ſcripta apocrypha Eccleſias Chriſtianas inundarent, neceſſe fuit, ut compluribus Eccleſiæ legibus publice declararetur, quos libros pro prælectionibus publicis, ſeu in Eccleſia, ſeu domi, uſurpare liceret. Id genus leges *Canonis* nomine appellatas fuiſſe, cunctaque *ſcripta*, quæ in ejusmodi canone continebantur, compluribus in ſcriptoribus *canonica* audiviſſe; *apocrypha* ex adverſo, quæ in eodem rejiciebantur, vel certe omiſſa fuerant. *Canonicus liber* itaque inde a ſeculo IIIio apud multos, ex. gr. apud

apud Clementem Alexandrinum, Gregorium Nazianzenum, S. Philaſtrium, apud Patres Concilii Laodiceni Can. 59. &c. &c. alius non erat, niſi liber Eccleſiaſtica lege ad prælectiones publicas approbatus; quin idcirco ab illis pro divino hoc ipſo haberetur; quippe quales non habebantur, niſi a Prophetis, vel Apoſtolis conſcripti, aut certe probati. Alios ſcriptores quarti inprimis ſeculi, puta S. Athanaſium, Ruffinum, S. Hieronymum, ceu paullo accuratiores, probe diſtinguere inter *Canonicos*, id eſt, vere divinos, & inter *Eccleſiaſticos*, id eſt, pro prælectionibus publicis præſcriptos libros: at iſtos ferme prædictos libros deuterocanonicos veteris teſtamenti a canone prorſus proſcribere, & expreſſe inter Eccleſiaſticos cenſere.

** Hisce argumentis primo univerſis *reſponſionem generalem ad hominem*, ut vocamus, viciſſim oppono hunc in modum. Doctores Theologi ex Proteſtantibus, cum integri textus Scripturarum, novi præſertim teſtamenti, divinitatem quoad res omnes plane probare non poſſint, inſuper divinitatem Evangeliorum SS. Lucæ & Marci, item Actuum Apoſtolicorum, non niſi ex eo ſaltem quoad dogmata contenta probare ſolide poſſunt; quod illa ſcripta ab Apoſtolis, infallibilitatis dono præditis, poſtmodum probata fuerint. Ergo ſaltem eodem ſenſu divini haberi ab eisdem debent omnes libri deuterocanonici; poſtquam illi univerſali, præſertim ſolenni, judicio Eccleſiæ Catholicæ, maxime in Tridentino, ſimiliter probati ſunt; quippe cui Eccleſiæ in ſuis Epiſcopis & capite idem donum doctrinæ falli neſciæ in rebus fidei competit, quod Apoſtolis convenerat. Certe ita ipſimet ſentire debebunt; ut primum generale dogma Catholicum de judicio Eccleſiæ erroris experte plane comprobatum eſſe a Catholicis agnoverint. Illud quidem verum eſt; qui ex Catholicis ſic præciſe de divina auctoritate illorum librorum deuterocano-

nonicorum ſentiret (18.), eum cenſuram Theologorum Catholicorum paſſim perinde incurſurum, atque Lovanienſis & Duacenſis Academiæ cenſuram incurrit propoſitio tertia §. 32. n. 3. citata. Sed Doctoribus Proteſtantibus, qui alium divinæ auctoritatis gradum de ipſis Evangeliis SS. Lucæ & Marci ſolide probare non poſſunt, placere id genus aſſertio plane deberet.

*** At enim præciſius etiam aliquid argumentis præfatis reſpondere oportet. Itaque *Reſp. ad* 1) aio, Eccleſiam Judaicam veriſimillime tam parum expreſſa teſtimonia, divina, vel humana authentica, vel diſtincta argumenta a priori, vel poſteriori, pro ſuo Canone afferre potuiſſe, atque pro novi teſtamenti Canone afferre poteſt Eccleſia chriſtiana (27.): & nihilominus ejus judicium de SS. librorum ſui Canonis divinitate fuiſſe verum, & haud dubie inſpiratum & directum a DEO; ſicut judicium Eccleſiæ chriſtianæ. Ergo Eccleſiæ chriſtianæ judicium ſimile de divinitate librorum deuterocanonicorum veteris teſtamenti etiam ſine teſtimonio, aut ſine concordante judicio Eccleſiæ Judaicæ, verum eſſe poteſt; ſi modo in eo chriſtiana Eccleſia a DEO inſpirante itidem dirigatur. Atqui dirigitur a DEO (49.). Ergo &c. *Ad* 2) Quod Chriſtus & Apoſtoli non approbarint libros veteris teſtamenti deuterocanonicos, æque parum conſtat, atque, quod approbarint. Teſtimonia diſtincta hic utrinque ex æquo deficiunt. Certe de libro *Sapientiæ* S. Auguſtinus expreſſe ait L. I. de prædeſt. *a proximis Apoſtolorum citatum eſſe ut divinum;* & S. *Melito* illum in ipſo Judæorum Canone reponit. Ceterum unde unde Eccleſiæ concors de divinitate illorum judicium ortum fuerit; verum eſt, ſi a DEO inſpirante dirigitur. Atqui &c. &c. *Ad* 3.) concedo, verum eſſe, ex ſola ſimplici allegatione librorum a primis Eccleſiæ ſcriptoribus facta, opinionis de divinitate illorum argumentum ſecure peti non poſſe: atque eo ipſo nomine ſu-

ſuperſedi relatione ampla id genus allegationum; quam alii vulgo ſuſcipiunt. At enim aliter citant Patres libros pios præciſe; aliter, quos pro divinis habuere, & idcirco *canonicos* appellarunt ad diſcrimen illorum. Porro *ad* 4.) aio, meram ſuſpicionem eſſe, ſolido carentem fundamento, quod Patres quidam, ſeu ſcriptores tertii, vel quarti ſeculi, nomine *Canonicorum* appellarint prædictos libros, nec tamen aliud iſto nomine intellexerint, quam libros lege ſeu canone Eccleſiaſtico publicæ prælectioni in Eccleſiis adhiberi ſolitos. Certe SS. Athanaſius, & Hieronymus, Origenes, item & Ruffinus, aperte per *Canonicos* libros non niſi divinos intelligunt, fatentibus ipſis adverſariis, atque ea ipſa de cauſſa libros deuterocanonicos veteris teſtamenti a Canone excludunt, & in ſpecialem claſſem *librorum Eccleſiaſticorum* referunt; quos ad prælectiones quidem publicas, ſed non ad probanda fidei dogmata, adhibere permiſſum fuerit. Concilium Carthaginenſe III. anno 397. *ſolas ſcripturas canonicas ſub nomine divinarum ſcripturarum legi* ait (47. n. 4.). Jam autem veriſimile non eſt, vocem Eccleſiaſtico uſu conſecratam duplici & ambiguo ſenſu eodem tempore promiſcue adhibitam fuiſſe; quin ipſi id nos SS. Patres & ſcriptores Eccleſiaſtici uſpiam admoneant. Et vero fundamentum leviſſimum eſt contrariæ ſuſpicionis. *Clemens* Alexandrinus, *ajunt*, ſine diſcrimine citat libros S. Clementis Romani, Hermæ, & libros Tobiæ, Judith &c: ergo nomine Canonici libri non niſi pium & pro uſu catechumenorum, quos ipſe inſtituebat, ab Eccleſia probatum intelligit. At enim hoc argumento æque probabo, Clementem Alexandrinum libros protocanonicos quibusvis aliis piis probatisque ab Eccleſia libris æquiparaſſe: quippe quos non aliter atque priores illos allegat. *Dicunt porro*: SS. Gregorius Nazianzenus & Philaſtrius in Canone ſuo, quem proponunt, libros omittunt, ex. gr. Apocalypſin, quos ex aliis eorundem ſcriptis certo conſtat, ab illis pro divinis habitos fuiſſe: ergo indi-

indicium eſt, iſtos ſcriptores in ſuo Canone non niſi libros publicis prælectionibus conſecratos, non autem præciſe divinos, enumerare voluiſſe: Apocalypſis enim, licet divina haberetur, tamen propter abuſum, quem Chiliaſtæ de illa faciebant ad regnum Chriſti millenarium ex ea probandum, tertio & quarto ſeculo paſſim ab uſibus & lectionibus publicis in Eccleſiis arcebatur. Sed *reſpondeo:* cur ergo iidem duo ſancti ſcriptores ambo in ſuo canone non niſi meros libros vere pro divinis a ſe habitos, nec niſi ſcriptos fere ab Apoſtolis & Prophetis reponunt; nullos vero alios præciſe lectioni publicæ conſecratos? An non omittere nihilominus ob eam ipſam rationem Apocalypſin poterant: etſi non niſi divinos libros canonicorum nomine complecti vellent? Ecce tenuitatem fundamenti ſuſpicionis ejusmodi! Quod itaque Athanaſius, Hieronymus, & Ruffinus, aliique expreſſe a *Canonicis* excludant libros veteres deuterocanonicos, & in mere *Eccleſiaſticis* cenſeant, argumento eſſe non poteſt, etiam alios Patres, cum eosdem expreſſe *canonicos* vocant, & in Canone ponunt, haud aliud *canonici* nomine quam *Eccleſiaſticum* librum cum prædictis ſcriptoribus intelligere.

**** At enim porro *opponunt*, 1) Librum Baruch nec documenta §. 47. n. 4. citata, nec Laodicenum Concilium ſeculo IV. celebratum in canone ſuo nec Gelaſius I. Papa in ſuo decreto, nec S. Damaſcenus &c. numerant in Canone. S. Hieronymus vero in Proœmio ait: *quoniam in Hebræorum Canone non legitur, propter ſolam notitiam legentium eum adſcribi.* 2) Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & duos Machabæorum, a Canone excluſere viri criſi præcipua alias conſpicui, ut S. Hieronymus, Origenes, Ruffinus, Melito, Athanaſius, Nazianzenus &c. & ipſum Concilium Laodicenum. De illis dubitarunt S. Auguſtinus L. de cura pro mortuis gerenda, S. Epiphanius L. de

L. de ponderibus & menſuris ſaltem de libris ſapientiæ & Eccleſiaſtici. S. Damaſcenus L. IV. c. 8. Trullanum Concilium Canone Apoſtolorum 84to rejicit libros Tobiæ, Judith, & Eccleſiaſtici. 3) Primi Eccleſiæ Patres plerique exigua criſi dijudicarunt divinitatem librorum ſacrorum, & in aliis multis ex ſubtilioris critices defectu errarunt. Sic ex. gr. Carthaginenſe IIIum Concilium & Innocentius I. ſupra §. 47. n. 4. citati, *quinque Salomonis libros*, numerant, & in his Sapientiæ & Eccleſiaſtici libros. Atqui, fatente errorem hunc ipſo Auguſtino (l. cit.) Sapientia græce ſcripta eſt, non a Salomone, ſed fere primum tempore Machabæorum: cum omnia Scripturæ teſtimonia, quæ adducit, petita ſint ex verſione LXX. Eccleſiaſtici autem liber a filio Sirach, veriſimilius etiam primum ſub Ptolomæo Epiphane, ſcriptus eſt. *Reſp. ad* 1.) Libri Baruch textus ſub nomine Jeremiæ, ac proinde certo ceu canonicum librum, citant Clemens Alexandrinus in Pædag. L. I. c. 10. & L. II. c. 3. ſimul *divinam* ſcripturam illum appellans; S. Baſilius L. IV. contra Eunom. Euſebius in Demonſtr. Evang. c. 19. divinam item ſcripturam appellans; S. Ambroſius L. I. de Pœnit. S. Auguſtinus L. XVIII. de Civit. S. Chryſoſtomus in hom. de Trinit. S. Cyrillus L. II. in Judæos Cap. 5. Tametſi ergo veteres paſſim eum ſub proprio nomine haud citent; certi tamen ſumus, quod illum pro parte Prophetiæ Jeremiæ habuerint; cujus Amanuenſis fuerat Baruch. *Ad* 2) Prædicti ſcriptores eodem tempore unice Eccleſiæ veteris Judaicæ judicio ſtabant eodem tempore, quo complures jam Eccleſiæ Chriſtianæ illos in Canonicis numerabant. Aliud ergo non conſequitur, niſi diverſas diverſarum Eccleſiarum fuiſſe id adhuc ætatis ſententias. Sed quis litem in argumento fidei ſecurius ſecundum veritatem componet quam Eccleſiæ a S. Spiritu directæ judicium? *Ad* 3) Particulare quorundam ſolum ſcriptorum judicium utique ob melioris criſis defectum erroneum eſſe poteſt; at non Eccleſiæ univerſalis judicium ſo-

ſolenne. Plures librum Sapientiæ Salomoni adſcripſere idcirco; quia auctor illius Cap. IX. v. 1. dicit: *tu elegiſti me Regem populo tuo, & dixiſti, me ædificare templum in monte ſancto tuo.* At enim auctor per hæc verba non niſi perſonam Salomonis aſſumebat ceu exemplum genuinæ Sapientiæ & ideam Regibus & Principibus futuram. Interim quis ſit auctor; nihil ad rem facit. Alii putant: cum Salomon teſte ipſa Scriptura III Reg. IV. tria millia parabolarum & quinque millia Carminum locutus ſit, ea non in unum librum a Salomone, ſed ab aliis, & ex parte ab auctore Sapientiæ, collecta fuiſſe, Unde & JESUS Sirach Eccl. X. ait, non ſe protuliſſe, ſed renovaſſe Sapientiam de corde ſuo. Hujus rei conſcii Patres Carthaginenſes, & Innocentius I. potuere eos libros vere tribuere Salomoni.

ARTICULUS III.

DE AUTHENTIA EDITIONIS VULGATAE, ET USU SCRIPTURÆ AUTOGRAPHÆ.

54.

Facta hiſtorica. I. *Originalia exempla ſcripturarum* ab ipſis SS. Scriptoribus exarata pridem deperdita ſunt, ſolumque jam inde a primis ſeculis extant deſcripta eorum a variis exempla. Ex his *textus hebraicus* eorum *librorum veteris teſtamenti*, qui hebraice primum ſcripti ſunt, tribus diverſis Epochis conſiderari meretur; an puritatem fontis illibatam conſervarit. *Epocha prima* eſt ab exordio ſcriptionis illius uſque ad Chriſtum natum. Hoc intra tempus ſi textus ille vitium a Judæorum fallacia paſſus aliqua in re momenti majoris fuiſſet; profe-

fecto Chriſtus & Apoſtoli tam confidenter ad ſcrutamen Scripturarum Phariſæos provocaſſent; quin id vitium ipſorum fraude datum ipſis exprobrarent: cum alia eorum vitia tam libere arguerint. Quid quod teſtimonia, quæ Chriſtus & Apoſtoli citarunt, eadem hodiedum extent in Hebræo. Id tamen non obſtat, quo minus veriſimile ſit, omni induſtria & religione Judæorum inſuperhabita, in diverſa exempla, manu non ſemper æque ſolerti deſcripta, ſubinde errores quosdam & menda levioris momenti irrepſiſſe. *Epocha ſecunda* a Chriſti morte usque ad ætatem S. Hieronymi extenditur. De hac S. Hieronymi teſtimonium in Cap. VI. Iſajæ habemus, omni profecto majus exceptione; cui par aliud opponi non poteſt; qui non niſi riſu dignos æſtimat eos, qui hoc falſi vitium Judæis circa textum hebraicum imponerent. Origenes quoque Lib. VIII. Comment. in Iſaj. abſolute negat id genus corruptionem a Judæis factam eſſe. Eadem S. Auguſtino ne veriſimilis quidem videtur L. XV. de Civit. c. 13. & Lib. de egreſſu filiorum Iſraël. Itaque cum S. Juſtinus Martyr in Dial. Tryphoni Judæo objicit, a Judæis multa Prophetarum dicta detruncata fuiſſe, ex. gr. ex illo Pſaltis, *dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno*, illud, *a ligno*, omiſſum &c. de verſionibus Græcis, ab Aquila, Symmacho & Theodotione, Judæorum profelytis, adornatis intelligendus eſt: quippe qui ipſe hebraice non intellexit: cum ex græcis Patribus & ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſoli Origenes & Euſebius, ex latinis vero ſoli Clemens & Hieronymus hebraicum calluiſſe legantur. Sed & Origenes in Epiſt. ad Rom. & Euſebius IV. 18. idem corruptarum alicubi ſcripturarum vitium quandoque Judæis objicientes, ſimiliter de græcis verſionibus eisdem intelligi debent. *Epocha tertia* eſt a S. Hieronymo usque ad noſtra tem-

pora; in quam primo ſtatim illa Judæorum Synodus Seculo V. quinquaginta poſt obitum S. Hieronymi Tiberiade celebrata; in qua multi credunt primum puncta loco vocalium hebraicis literis ſubjecta a Maſorethis inventa & textui hebraico adjecta fuiſſe: tum quia in antiquis nummis Hebræorum ea puncta non videntur; tum quia exemplaria, a Judæis in Synagogis adhiberi ſolita, punctis carent; tum quia in ſcriptis S. Hieronymi plura hebraica leguntur ſine punctis. Hac occaſione credunt iidem, ab eisdem Maſorethis in odium religionis chriſtianæ hebraicum textum variis in locis corruptum eſſe; quod ex eo colligunt, quod hodie textus hebraicus a verſione LXX. S. Hieronymo, & fragmentis reſiduis verſionum græcarum Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, ſubinde ex æquo recedat. At enim ad variationes & receſſiones hodiernas hebraici textus a Vulgata latina concipiendas haud opus eſt ſine certo documento fingere ſtudioſas Maſoretharum fallacias & corruptelas, in gente ceteroquin ad ſuperſtitionem usque in ſuis religionibus tuendis religioſa vix veriſimiles: cum errores & corruptiones illi textus hebraici omnes facile vel negligentia & ignorantia librariorum, ex literarum ſimilitudine facile æquivocantium, vel certe ignorantia Rabbinorum, puncta male ſubſcribentium irrepere potuerint. Habemus itaque textum hebraicum non quidem plane integrum, nec errorum expertem, ſed nec deſtinato ſtudio corruptum. Certe poſt Maſoretharum tempus malo animo a Judæis depravatum non eſſe, inde eruitur; quod a Maſorethis omnes ſingulorum librorum verſus, omnes verſuum voces, omnes ſingularum vocum literæ numeratæ ſint, harumque numeri ita deſcripti, ut, quoties litera quævis in SS. Scripturis hebraicis habeatur, ex inito ab eis cal-

calculo cognoſci poſſit: ut adeo vix corruptioni locus porro relictus fuerit.

55.

II. *Græcus textus originalis* ſcripturarum tum novi, tum veteris teſtamenti, maioribus pluribusque corruptelis ſcatet; de quibus hæreticos ſui temporis, tum græcos ſchiſmaticos, paſſim accuſant *Tertullianus* L. V. contra Marcion. *Euſebius* V. c. ult. Irenæus L. I. c. 29. *S. Baſilius* L. II. contra Eunom. *Origenes* in Epiſt. ad Rom. *S. Ambroſius* in Ep. ad Rom. *S. Hieronymus* in Proœm. in Ep. ad Philem. Similiter in Concilio VI. Oecumenico Macarius ejusque diſcipuli convicti ſunt ſimilium depravationum, idemque in Synodo VII. de Iconomachis actione quarta oſtenſum eſt.

56.

III. *Samaritanus textus Pentateuchi* eſt ipſe quoque textus originalis, ſed aliis literis ſcriptus, iis nimirum, qui civiles erant: cum Moſes ſacris illum literis, quæ ſunt ipſæ hebraicæ, conſcripſiſſet. Vide Demonſtr. Evang. §. 306. Diſcrepat Samaritanus textus locis non paucis ab Hebraico, ſeu librariorum vitio, ſeu corruptela deſtinato ſtudio a Samaritanis, in veteratis Judæorum hoſtibus, introducta; quippe qui eodem unice utebantur. Antiquitate ceteroquin ſua valde venerabilis eſt textus iſte, qua verſiones univerſas excellit.

57.

IV. *Chaldaica paraphraſis*, quæ ſacrum textum non de verbo ad verbum, ſed ejusdem ſenſum addita

dita quadam explicatione refert, quod idioma attinet, dialecto differt ab hebraico textu. Duplex eſt, Targum Babylonicum & Jeroſolymitanum, appellari ſolita. Prioris non unus eſt auctor. Nam 1) Jonathas Uzielis filius ſub Herode triginta ante Chriſtum natum annis fuſo ſtylo majores & minores Prophetas, Joſue, & Judicum libros expoſuit, fabulis variis opus ſuum permiſcens. 2) Onkelos JESU Chriſti ætate florens non niſi Pentateuchum Chaldaice exponit; majorisque fieri ceteris apud eruditos ſolet ob accuratiorem interpretandi rationem. 3) Joſephus cæcus, ætate, pretio, & ſtylo reliquis inferior, in Pſalmos, Job, Proverbia, Canticum, Eccleſiaſten, Ruth, & Eſther Chaldaice commentatus eſt. Targum Jeroſolymitanum ſolum Pentateuchum, eundemque mutilum, continet. Ubi cum hebraico conſentit, uſum Paraphraſis utraque Chaldaica habet; in aliis ob inſperſas fabulas vileſcit.

58.

V. *Syriaca verſio* ab incerto auctore eſt. Eſt autem lingua Syriaca hebraicæ & chaldaicæ linguæ proles, utriusque commixtione nata, & literarum formis differens a prioribus. Sub Syrorum Regum dominatione cœpit Judæis fieri vulgaris & vernacula. Syri arbitrantur, totum novum teſtamentum ex græco idiomate in Syriacum a S. Marco Evangeliſta verſum fuiſſe. Sed nullum iſtius verſionis apud primos Patres extat documentum. Certius eſt, S. Matthæi Evangelium lingua Syriaca primitus ſcriptum fuiſſe. Nec obſtat, quod idem hebraice ſcriptum legatur: accipitur enim lingua hebraica pro ea, quæ Apoſtolorum tempore hebræis erat vulgaris. Non eſt iſta verſio magnæ auctoritatis, pluribusque nævis ſcatet.

59.

59.

VI. Ex græcis Verſionibus veteris teſtamenti *Verſio ſeptuaginta duorum* Interpretum, annis fere 290. ante Chriſtum natum ſub Ptolomæo Philadelpho Ægypti rege facta, famoſiſſima eſt. Hanc LXXII. viri Hebræi, ſeni ex qualibet tribu filiorum Iſraël delecti, utriusque linguæ peritiſſimi ſpatio ſeptuaginta duorum dierum apud Pharum Ægypti, hebraicum græce vertendo, mirabili conſenſione abſolverunt. Hæc ſumma totius hiſtoriæ interpolata eſt celebri fabula cellularum, quas *Juſtinus*, a Judæis ruinas quasdam ipſi collapſarum cellularum ſpeciem imitantes oſtendentibus, deceptus, ſingulas ſingulis, *S. Epiphanius* vero binis quibuslibet ſingulas attribuit; quibus ſcriptores deinceps ſecuti, re ulterius haud examinata fidem habuere, miraculo factum fuiſſe communiter aſſerentes, quod cellulis licet diviſi, tamen ne uno quidem verbo, vel apice, diſcordarint. Sed ridet fabulam iſtam *S. Hieronymus* Præf. in Pent., ac refutat teſtimonio Ariſtæi teſtis oculati, qui apud Joſephum Judæum Antiq. L. II. c. 12. aperte dicit, interpretes conſuluiſſe ſimul ſingulis diebus usque ad horam nonam. Pro effectu tamen afflantis divini ſpiritus recte habetur, ipſo probante Hieronymo; quòd tam brevi tempore tot capita in tam multis conſenſerint, uno quaſi ore interpretantes. Interim Hieronymus in Cap. VI. Ezech. putat, ſolum Pentateuchum ab eis græce verſum fuiſſe; S. Juſtinus e contra, omnes libros ſacros in hebræo canone contentos. Verſio LXX ea ipſa eſt, ſecundum quam Chriſtus & Apoſtoli communiter Scripturas citabant, atque idcirco uti olim apud Judæos, ſic primis Eccleſiæ temporibus apud Patres Chriſtianos ſummo in honore, ceu vere authentica, habebatur, & quidem integris pæne ſex ſeculis non ſolum apud Græcos, ſed etiam in toto occi-

occidente. Verſionem hanc hodiedum genuinam extare probant Waltonus & Calmet ex aliquo exemplari ante tempora S. Hieronymi jam exarato uncialibus literis; quod Romæ impreſſum juris publici fecit Sixtus V. a. 1586. In hoc inveniri incorrupta ea omnia, quæ Philo, quæ SS. Juſtinus, Irenæus, & Clemens Alexandrinus, qui Origenis ætatem præceſſere, ex LXX citarint, atque etiam quæ citarint ex eadem Patres Origene poſteriores: & quoties in hexaplis Origenianis editioni Septuaginta aliquid additum ſub aſterisco legitur; toties non haberi; quoties vero quid obelo notatur, toties in eo exemplari extare; quod antiquæ puritatis ſignum ſit. Inde cum Bonfrerio & Joanne de la Haye in Prol. ad Bibl. max. concludunt, verſionem hanc hodiedum eſſe authenticam in doctrina fidei & morum. Nam fuiſſe talem ante tempora S. Hieronymi: ergo adhucdum eſſe; quia eadem manſerit in Eccleſia. Accedit his approbatio Pontificia in diplomate citati Codicis editioni præfixo: nec leviora menda, ab Alexandro Natale in hiſt. Eccl. ſec. II. Diſſ. 2. adnotata, authentiam in rebus prædictis illi decerpere poſſunt. Sanctus quidem Hieronymus, aliique, ſæpe verſionem LXX dixere corruptam; & Gen. V. adhuc errat illa in ætate Patriarcharum: ſed corruptelæ iſtæ non de omnibus, ſed aliquibus ſolum exemplaribus, & fere in rebus minoris momenti, aſſertæ videri poſſunt. Certe error ille in ætate Patriarcharum Gen. V. jam obſervabatur a S. Auguſtino in L. XV. de Civit. c. 14.; quin tamen is ob talem errorem mere hiſtoricum, non utique a ſtudioſa malitia, ſed ſolum deſcribentium vitio profectum, Auguſtinus ab ea verſione acerrime defendenda deſiſteret.

60.

VII. Poſt verſionem LXX interpretum *aliæ* inſuper

per *græcæ verſiones* ſuperſunt. *Prima* eſt *Aquilæ Pontici* a. XIImo Adriani Imperatoris; qui primo homo gentilis, deinde chriſtianus, denique ab Eccleſia pulſus, quod Aſtrologiæ judiciariæ ſtuderet, ad Judæos ſe contulit, ac SS. literas græce interpretatus eſt, ſed perverſa ob odium in Chriſtianos fide. *Altera* græca verſio anno Chriſti 184. facta eſt a *Theodotione* Epheſino; qui Tatiani primum, deinde Marcionis diſcipulus, denique Judæus, vetus teſtamentum in græcum tranſtulit, multa addens, non pauca demens. *Tertia verſio Symmachi* eſt; qui ex Samaritano Judæus, deinde Chriſtianus, ac tandem Ebionis diſcipulus factus, non bona fide verſionem ſuam anno Chriſti 200. adornavit. *Quarta Jerichuntina* eſt, incerti auctoris; ſic dicta, quia ab Origene inventa fuit in quibuſdam doliis urbis Jericho ſub Caracalla Imperatore, teſte S. Epiphanio. Hanc ab antiquis reprehenſam non legimus. *Quinta incerti* item *auctoris* eſt, in doliis apud Nicopolin reperta, teſte item Epiphanio, quæ nec ipſa ab antiquis reprehenditur. *Sexta* eſt *Origenis;* emendatio potius verſionis LXX, quam nova verſio; multis ex Theodotione admixtis, quæ aſteriſco notantur; multis obelo ſubductis, ceu quæ dubiæ fidei haberentur. *Septima* eſt *S. Luciani Presbyteri & Martyris;* qui, cum in iam dictis verſionibus multa vitia obrepſiſſent, novam molitus eſt; quæ ſub Conſtantino Cæſare Nicomediæ reperta fuit, ipſius manu deſcripta, & in quodam pariete aſſervata. *Octava* eſt *Heſychii* Monachi, qui verſionem LXX. denuo emendavit, & Ægypti eccleſiis tradidit. Hæ duæ poſtremæ verſiones laudantur a S. Hieronymo, & multis in Eccleſiis orientis in uſu fuere.

61.

VIII. *Latinæ verſiones* ante S. Hieronymum pæne

pæne innumeræ fuere teſte Auguſtino L. II. de doctr. chriſt. cap. 11. & teſte ipſo Hieronymo Præf. in Joſue *tot pæne exemplaria* nova, *quot codices*: una tamen erat communior, quæ *vulgata editio* dicebatur; uti patet ex Hieronymo in Cap. 14. Iſai. Et hæc videtur eſſe illa *Itala*, quam S. Auguſtinus L. II. de doctr. chriſt. c. 15. aliis omnibus anteponit; quia *verborum tenacior eſt cum perſpicuitate ſententia*. Auctor illius ignotus. Cum in hanc quoque editionem librariorum errore menda plurima irrepſiſſe adverteret S. Hieronymus, vetus teſtamentum primum ex Verſione LXX, ac rurſus altera vice ex Hebræo, in latinum tranſtulit, a S. Auguſtino aliisque ob poſteriorem iſtam reprehenſus. Verum ſucceſſu temporis celeberrima facta fuiſſe videtur hæc Verſio. Tametſi enim certus haud omnino ſit Vulgatæ noſtræ hodiernæ auctor; quippe de quo teſte Pallavicino L. VI. C. XVII. n. 15. dubitarunt ipſi Patres Tridentini: nihilominus illa fere tota S. Hieronymum ſeu auctorem, ſeu emendatorem habuiſſe communius creditur, & innuente S. Iſidoro Hiſpalenſi L. I. de offic. Eccleſ. jam ſeculo VI. omnibus Eccleſiis fuit in uſu. Et quidem Pentateuchum in noſtra Vulgata eſſe ex S. Hieronymi verſione, conſtat ex computatione annorum hebræo textui conformi capite quinto & undecimo Geneſis. Reliquos in hebraico Canone contentos (præter Pſalterium) eſſe Hieronymi, ex hebraico vertentis, ſicuti & librum Tobiæ, & Judith, patet ex præfixis Prologis & Præfationibus, atque ex uniformitate ſtyli, ſicuti & ex Commentariis S. Hieronymi. Pſalterium quidem ex hebræo vertit S. Hieronymus; ſed id Eccleſia non recepit, ſed tantum ejus emendationem verſionis LXX. quia ob quotidianum uſum in cantu Eccleſiæ mutatio major in pſalterio erat nimis difficilis & exoſa. Libri ceteri in hebraico canone

non

non contenti, nempe Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch cum epiſtola Jeremiæ, Libri Machabæorum, Appendiculus libri Eſther, item Pſalterium, & duo ultima capita Danielis &c. non ſunt ab Hieronymo; qui non niſi contenta in Canone hebraico vertit; ſed ex veteri vulgata Itala. Ex hac eadem habemus integrum teſtamentum novum, emendatum quidem ſecundum græcos fontes ab Hieronymo, ſed nunquam de novo exinde verſum.

62.

IX. Concilium Tridentinum Oecumenicum Seſſ. IV. c. 2. de Vulgata editione ſic ſtatuit: *SS. Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ DEI, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, SS. librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit, ac declarat, ut hæc ipſa vetus & Vulgata Editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, pro authentica habeatur, & nemo illam reiicere quovis prætextu audeat.* Interim inſuper habito hoc decreto 1.) mens Tridentini Concilii non erat, vulgatam verſionem factam eſſe ab interprete a Spiritu ſancto afflato; uti putabant Franciſcus Titelmannus & Melchior Canus de loc. Theol. L. II. C. 14. circa finem; cum nuſpiam huic fundamento innixi in ſuo formando decreto Patres Tridentini legantur teſte Pallavicino L. VI. C. 17. n. 11. 2.) Contra Patres illius Concilii unice & præcipue nitebantur eo argumento, quod *vulgata editio longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia*, præſertim Romana, *probata fuerit. Haud enim apparet* (ita legati ſcribebant communi nomine ad Farneſium Cardinalem, querelas ipſorum Romanorum contra id decretum ipſis denuntiantem, teſte eodem

Pallav. l. cit. n. 15.) *quo tutius confugiendum ſit, quam ad obſervationem illius Eccleſiæ, quæ, præterquam quod caput eſt chriſtianæ reipublicæ, peculiari DEI privilegio ac beneficio ſemper perſtitit immunis ab hæreſeos labe.* 3.) Non ignorabant Patres Tridentini, nec diffitebantur menda plurima ineſſe ipſius Vulgatæ exemplaribus, quæ tunc circumferebantur: ſed pro certo habebant ob ipſam rationem modo dictam, ea menda non pertinere ad ipſam ſpeciem verſionis, qualis ab interprete ſuo prodiit, ſed ad particularia exempla ejusdem, atque eam ipſam depravationem nec eandem, nec æqualem eſſe in omnibus, atque idcirco collatione aſſidua, & comparatione ad fontes, genuinam vulgatæ editionem reſtitui poſſe: id quod & curæ Romanorum Pontificum conficiendum ſolicite commendarunt. Hæc omnia iterum teſtatur Pallavicinus l. cit. n. 16. 4.) Quod ipſam authentiam attinet, quam ineſſe vulgatæ verſioni declaravere, non directe eam retulere ad fontes autographos, ſed ad alias verſiones latinas; ſolumque prohibuere, ne ullo prætextu, ac proinde nec obtentu diſcrepantiæ a fontibus, in probatione dogmatum fidei & morum a quoquam ejus auctoritas rejiceretur. Quo ipſo facto ſane aliud non aſſeruere, niſi verſionem illam ſic præ ceteris omnibus latinis verſionibus *authenticam* eſſe, ut neque data opera in quacunque parte quantumvis minima ad fidem moresque ſpectante corrupta ſit, nec vero etiam in ſimili ulla particula ex verſoris inconſiderantia, vel imperitia poſitive archetypo difformis. Vide Pallav. l. cit. nn. 6. & 9. 5) *Quod autem Vulgata translatio* (ita pergit ibid. n. 10. Pallavicinus) *exemplari primævo per omnes leviores minutasque particulas conformetur, nec ab illo declinaverit vel in certa arbore, vel in certo animante, pro aliis alias exponendo, pia eſt aliquorum ſententia;*

ſed

ſed non Tridentini Concilii certum effatum. *Etenim decretum minus arcte intellectum eſt ab auctoribus compluribus, qui Synodo interfuere, vel cum iis, qui interfuere, ſunt collocuti.* Recenſet deinde, *Andream Vega in Concilio ipſo ſuum judicium per hanc plane ſententiam protuliſſe, magnaque cum opinione ſapientiæ auditum eſſe:* eundemque poſtea in ſuis libris (de Juſtif. L. XV. c. 9.) teſtari, *Patres id voluiſſe, & hoc ipſum ſibi a Cervino legato ſignificatum; quo ipſo adhuc vivente iſtud Vega typis vulgarit. Huic accedunt*, inquit porro prætatus Hiſtoriæ Tridentinæ ſcriptor, *Melchior Canus* (L. II. de loc. theol. c. 13. concl. 1.) *qui paucis poſt annis adfuit Concilio ſub Julio Pontifice, & Diaacus Payva ab Andrada* (in defenſ. Vulgatæ L. IV. *qui ſub Pio ibidem adfuit, & utrique licuit ſciſcitari a compluribus, quænam fuiſſet Patrum mens Decretum illud conficientium.* Citat poſt hæc pro eadem ſententia Pallavicinus *Gibertum Genebrardum* contemporaneum illi ætati (in Præf. ad Carolum IX. Regem Galliæ ante opus Origenis) *Nicolaum Serrarium* (in Proleg. Bibl. c. 19. quæſt. 11.) & *Jacobum Bonfrerium* (in Proleg. in Pentat. cap. 15 ſect. 3) *Sixtum* item *Senenſem* in Bibliotheca ſancta, aliosque multos ab his citatos: *qui profecto* quidem *haud intendant, licere ab ea legitima verſione recedere in rebus tametſi non ad fidem, nec ad mores ſpectantibus, effrænate & pro libidine in quolibet verbo & argumento; ſed ſolum in iis locis, in quibus catholici Doctores haud omnino concordant, nec ab Eccleſia eſt interdictum.* Quod quidem certe eo amplius valet, quod, etſi Clementina Vulgatæ editio, diu quidem poſt Tridentinum a Clemente VIII. in lucem edita, proponatur ut emendatior ceteris, nunquam tamen a Pontifice ut emendatiſſima, & omnis minoris nævi expers huc usque propoſita fuerit.

 6) De-

6) Denique ultro videbant, ac profitebantur ipſi Tridentini Patres, in Vulgata editione *multa eſſe ambigua & obſcura; non ineſſe illi omnem vim, nec omnes alludendi concinnitates*, nec energiam omnem expreſſionum, *quæ inſunt archetypo* (Pallav. l. cit. n. 6.): quin imo, uti legati in literis ſupra citatis ad Cardinalem Farneſium porro candide fatentur, eam *humili* ſæpe *ſtylo ſerpere, nec extra barbariſmum aliquem, aut ſolæciſmum.* Ibid. n. 15. 7) His adde, correctores Bibliorum juſſu Clementis VIII. impreſſorum, etſi in præfatione pro certo aſſerant, hanc editionem ceteris omnibus eſſe puriorem, non tamen auſos fuiſſe affirmare, illam numeris omnibus eſſe abſolutam; imo fatentur illi, ſe reliquiſſe aliqua, quæ mutanda videbantur. Et ipſe quidem Bellarminus, qui hujus negotii pars magna fuit, in Epiſt. ad Lucam Brugenſem, a quo libellum de correctione Vulgatæ acceperat, ſic ſcribit: *Scias velim, Biblia vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata: multa enim de induſtria multis de cauſſis pertranſivimus, quæ correctione indigere videbantur.*

63.

Itaque I. *Tridentinum Vulgatam verſionem, qualis ab auctore ſuo* (ſeu uno, ſeu pluribus) *prodiit, declaravit authenticam*, id eſt, conformem fonti autographo, & prorſus veridicam, plenamque fidem facere, *in ordine ad probanda dogmata fidei & morum; ſimul vero in reliquis, ne quis temere eam rejiceret quovis prætextu, ſimpliciter prohibuit.* Vide §. 30. not. & § præc. nn. 4. & 5.

II. *Tridentini decretum prædictum erroris expers eſt, & omnes obligat.* Eſt enim ipſius Eccleſiæ judicium ſolenne & dogmaticum in argumento fidei.

III.

III. *Idem decretum non examine dogmatico, non teſtimoniis peritorum in linguis autographis ſcripturarum, ſed certa fiducia divinæ providentiæ & promiſſionis a Chriſto Eccleſiæ ſuæ factæ nitebatur; quod is ſcilicet haud eſſet permiſſurus, ut Eccleſia ſua tanto tempore ſcripturis latinis erroneis pro fidei regula uteretur.*

IV. *Declaratio iſta Eccleſiæ unicum erat idoneum medium communiter certos reddendi fideles de genuina verſione ſacrarum literarum ſaltem circa dogmata fidei.* Communiter enim moraliter ſaltem impoſſibile eſt, ut alia via fideles deveniant ad certam notitiam genuinæ verſionis; cum peritia tam perfecta linguarum hebraicæ, græcæ, & latinæ, ſicuti & examen tam variantium codicum & verſionum, plerisque res ſit moraliter impoſſibilis, & ob defectum idoneorum librorum talis erat vel ipſis doctis ante ſeculum decimum ſeptimum. Quid quod vel peritiſſimi linguarum Hebraicæ & Græcæ, puta, Eraſmus, & Lutherus, ſuis in verſionibus ita identidem variarint in novis ſuarum verſionum editionibus, ut denique teſte Cochlæo (in L. de Canonicæ ſcripturæ auctoritate cap. 11) Lutherus ipſe faſſus ſit: *ſi diutius mundus ſteterit, iterum erit neceſſarium, ut ob divinas ſcripturæ interpretationes, quæ nunc ſunt, ad conſervandam fidei unitatem Concilii decreta recipiamus.* Ex adverſo auctoritas Eccleſiæ omnibus præſto eſt, & ex Chriſti promiſſis perſpicua.

V. *Nulla fontium Hebraicorum & Græcorum auctoritate Vulgata verſio erroris in dogmate fidei argui quidem poteſt: attamen de cetero libertas adhuc plena relicta eſt variantes codicum vulgatæ verſionis lectiones ex fontibus determinandi, quænam vera præ aliis ſit, & menda librariorum corrigen-*

di, & obſcura quævis ac ambigua ex eisdem explicandi.

* Exempla minutiarum in rebus narratis adhuc deficientis Vulgatæ habe tibi in ſequentibus. Iſaj. I. 30. Vulgata habet: *cum fueritis veluti quercus defluentibus foliis:* ubi in Hebraico fonte vox אֵלָה *Ela* habetur; quæ, ſi Septuaginta & ipſi Hieronymo credimus (comment. in Iſaj.) potius *terebinthum* quam *quercum* ſignificat. Sed quia, terebinthus erat arbor ignota, ſoloque nomine celebrata apud Latinos, id quidem ætatis, qua verſio facta eſt, quercus ſubſtituta eidem eſt, ceu notior, ac de cetero ſcopo loquentis ex æquo quadrare viſa. Similiter in Pſalmo CI. v. 7. pro *Pelicano* in Hebræo habetur לְקָאַת *Likat* & pro *nictycorace* כּוֹס *chos*: quorum prius alii *monedulam*, alii *onocratalum*, alii *Pelicanum* interpretantur; poſterius nunc *bubonem*, nunc *cuculum*, alias *noctuam.* Contra Septuaginta pro *Pelicano* nunc dixerunt *avem*, nunc *leonem*, nunc etiam ſervarunt *Pelicanum ſolitudinis.* Nimirum quia verbis illis Pſalmi citati, *ſimilis factus ſum pelicano ſolitudinis, & factus ſum ſicut nycticorax in domicilio*, haud aliud quam ſolitudo exprimitur; nil referre exiſtimaverunt quamlibet ex rebus ſimilibus ponerent, eadem manente ſimilitudine. Pari modo Jonæ IV. alii *hederam*, alii *cucurbitam* verterunt vocem קִיקָיוֹן *kikajon;* quæ ſecundum quosdam fruticem Ægyptiacum ſignificat, cujus grana vehementem vomitum creant. Videlicet quia latinis res ipſa, planta nimirum, & hujus nomenclatura deeſt; idcirco rem ſimilem, aut veræ proximam, interpres quisque pro ſuo ſenſu nominarunt. Sic quoque Danielis Capite XIII. v. 55. & v. 58. illa verborum alluſio *ſub prino, - - - ſcindet te medium; ſubſchino, - - ſindet te medium,* *quæ*

quæ in græca verſione occurrit, ἀπὸ τῦ πρίνυ, πρίσαι, & ἀπὸ τῦ σχίνυ, σχίσαι, indicio eſt, non easdem arbores græco ſermone a ſeptuaginta Interpretibus fuiſſe redditas, nec a latino verſore, quas textus hebraicus, ſeu chaldaicus, nunc quidem circa illa duo Danielis ultima capita deperditus, habebat, quem Daniel conſcripſerat: cum veriſimile non ſit, ſervatis iisdem nominibus alluſionem perinde locum fuiſſe habituram in græco, ſicut in chaldaico Idiomate. Porro ſimiles verſionis Vulgatæ defectus Decreto Tridentino nihil omnino detrahunt.

ARTICULUS IV.

DE SENSU SCRIPTURARUM VARIO EJUSDEMQUE RITE DISCERNENDI REGULIS.

64.

Scriptura, perinde atque locutio viva, tota vocibus ſcriptis videlicet, conſtat, id eſt, ſignis ad placitum, quibus & conceptus ſcribentis ſignificantur, & res ipſæ ab eo per illos ipſos conceptus cogitatæ (Logic. §. 72.). Porro tam conceptus per voces ſcriptas expreſſus, quam res ipſæ per eundem cogitatæ, *ſenſus ſcripturæ* appellantur. *Senſus* iſte dicitur *literalis*, quatenus ipſis vocibus ſcriptis vi ſignificativæ illarum virtutis (quæ ab inſtitutione, vel uſu ſaltem, hominum eſt) exprimitur, ac ſignificatur: *perſonalis* vero, quatenus ab eo, qui ſcripturæ auctor eſt, & mente conceptus, & ejus ſignificatio ſcriptione intenta eſt.

65.

Cum Scripturæ ſacræ non ſint Scripturæ imme-

diate, ſed ſolum mediate divinæ (34. 36. 14.), ita tamen, ut vere divinæ, & auctore DEO, inſpirante videlicet & dirigente (18), ſcriptæ ſint: idcirco *ſenſus perſonalis duplex in divinis Scripturis diſtinguendus eſt, DEI nempe inſpirantis & dirigentis, verique auctoris illarum mediati, & ſacri ipſius ſcriptoris cujusque libri.*

66.

Perſonalis ſenſus cujuslibet ſacri ſcriptoris idem eſſe debuit tum cum aliquo ſaltem perſonali ſenſu DEI, tum cum literali, in quovis determinato textu ſcripturæ. Secus enim vel ſcriptio ſenſus ac conceptus perſonalis ſcriptoris circa talem textum non fuiſſet inſpirata, vel Deus ejus ſcriptionem id eſt, literalem expreſſionem, quam ſerio utique intenderat, non obtinuiſſet, inſuperhabito omni ſuo influxu (36. not.). Et vero id ipſum ſcriptura ipſa affirmat; cum paſſim locutionem & conceptum SS. ſcriptorum DEI locutionem & conceptum appellat, ex. gr. ad Hebr. III, 7. *quapropter ſicut dicit ſpiritus ſanctus: hodie ſi vocem ejus audieritis.*

67.

Senſus perſonalis DEI, quem DEUS per ſcriptorem ſacrum a ſe inſpiratum literali expreſſione ſignificari intendit, ſæpe amplius ſe extendere, & fæcundior eſſe potuit, quam ſenſus perſonalis ipſius ſcriptoris ſacri. Sicuti enim conceptus quisque divinus de quavis veritate obiectiva diſtinctiſſimus & adæquatus eſt; quin tamen Deus, conceptum aliquem ſuum revelando homini, in hoc alium quam confuſum adhuc (ſaltem ex aliqua parte) conceptum de eodem objecto determinet: ita eadem literalis expreſſio, ut a Deo auctore inſpirante profecta,

ſta, longe amplius quid ex mente Dei exprimere poteſt, quam homo ſcribens intenderit. Exemplum habes in eo caſu, quo homo aliquis acutiſſimus & doctiſſimus alium imperitum, locuturum de quovis argumento ſcientifico, dirigeret. Fieri utique paſſim poterit, ut peritus ille ſuggeſtor multo amplius per ſenſus literales ſuggeſtos exprimere intendat, quam loquens iſte imperitior advertat, & ſenſu perſonali concipiat.

68.

I. *Itaque ex iisdem notis, quibus ſenſum perſonalem SS. Scriptorum, ac literalem ipſius ſcripturæ, dignoſcere licet, etiam ſenſum divinum aliquem, a DEO ipſo intentum diſcernere datur* (66).

II. *Fieri tamen ſæpe poteſt, ut ſenſus aliquis vere divinus, atque a DEO intentus, Scripturæ locis aliquibus exprimatur, quem ipſi SS. Scriptores nec clare intenderint exprimere, nec intendiſſe agnoſci poſſint* (67).

III. *Nihilominus ſenſus quiscunque divinus, ut cuicunque ſcripturæ loco ex vero tribui poſſit, literali ſenſu ejusdem contineri, id eſt, vocum ſcriptarum ſignificativa virtute exprimi, ſeu propria, ſeu impropria, & metaphorica, aut allegorica expreſſione, debet.* Neque enim, ut ſcripturæ loco is tribui poſſit ceu *ſignificatum*, ſufficit, ut DEUS talem conceptum re ipſa ſua mente conceperit; ſed opus eſt, ut actu idem ab eo exterius *ſignificetur*.

69.

Vel omnia, vel pleraque, quæ DEUS in veteri lege naturæ, & lege ſcripta, poſitiva lege & inſti-

tutione, vel præceptis etiam particularibus, ultra ea ordinavit, quæ lege neceſſaria naturali continentur, cum analogia quadam ceu figuras emblematicas & ſymbolicas ordinavit, 1) *vel ut præſignificarent ea, quæ olim in lege gratiæ inde ab adventu Meſſiæ divina diſpoſitione eſſent eventura*; 2.) *vel ut præſignificarent, quæ eſſent eventura juſtis ad finem perſeverantibus in vita altera beata*; 3) *vel ut ſignificarent, quid DEUS in hac vita fieri in moribus a juſtis hominibus vellet.* 4) *Imo rationes ſymbolicæ duæ poſteriores ex modo dictis etiam ordinatione divina inſunt vel omnibus, vel plerisque iis, quæ DEUS etiam in lege gratiæ, quoad etiam hæc mere poſitiva eſt, diſpoſuit, & præſcripſit.* Ineſt enim omnibus illis mere poſitiva lege divina ordinatis & diſpoſitis rebus reipſa magna & multiplex analogia & ſimilitudo emblematica ac ſymbolica, vi cujus per ſe aptæ erant iſtis omnibus ſymbolice ſignificandis; ac proinde ad eadem emblematice & ſymbolice ſignificanda adhiberi & ordinari a DEO, poſitiva lege ea ordinante, per ſe poterant: id quod ex innumeris commentariis & exemplis abunde conſtat; quibus SS. Patres Eccleſiæ, & alii commentatores SS. litterarum, myſticas iſtas ſeu emblematicas expreſſiones in rebus pæne omnibus detegere & obſervare ſtuduerunt, quas lege poſitiva a DEO ordinatas in utriusque teſtamenti Scripturis legimus. Tum vero conſtat ex Theologia Naturali, DEUM omnes bonos uſus rerum earum ſerio & ſincero affectu intendere, quæ ipſe, ceu media finis ultima, propinqua, vel remota, in hoc mundo diſponit (Theol. Nat. §. 579. 587.). Ergo cum iſtius uſus reipſa capaces ſint res prædictæ, a DEO utique pro mediis finis ultimi cum tali Analogia diſpoſitæ; eundem DEUS reipſa diſpoſitione tali illarum intendiſſe certo credendus eſt.

* Demonſtratio hæc, utut nova, evidenti naturalis Theologiæ principio & perſpectæ a poſteriori analogiæ univerſarum rerum, lege divina poſitiva in utroque teſtamento ordinatarum, cum ſignificatis illis innititur, ſimulque lucem præbet in explicando diſtinćte *fundamento ſenſus myſtici ſcripturarum;* de quo mox agendum.

** Sed & ſcriptura ipſa divina I. Cor. X. hanc modo demonſtratam a me Theſin iterato exprimit, cum Apoſtolus, de iis loquens, quæ Iſraëlitis in deſerto contigere, bis ſubdit, v. 6. *hæc autem in figuris facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes &c.* & rurſum v. 11. *hæc autem omnia in figuris contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram.*

70.

DEUS inſpirans SS. Scriptoribus voluntatem ſcribendi res, a ſe lege poſitiva ordinatas, ut eſſent figuræ ſymbolicæ ſeu eventuum futurorum tum in Eccleſia Chriſtiana, tum in ſtatu alterius vitæ beatæ, ſeu agendorum ab hominibus juſtis (ſecundum dicta §. præc.), hoc ipſo intendit ſignificationem figuratam iſtorum ſignificatorum per ipſas res illas ſcriptione & ſenſu literali expreſſas a SS. Scriptoribus. Sicuti enim res illas ordinavit, ut eſſent figuræ ſignificativæ rerum prædictarum; ita, dum fuit SS. Scriptoribus auctor, ut eas ſcriberent, reipſa auctor fuit, ut ſcriptione & literali ſenſu exprimerent res, virtute illa ſignificativa actu ex ordinatione ſua & propria analogia præditas: & cum omnem bonum uſum mediorum, quæ ipſe ordinavit, intendat, cujuscunque illa per ſe capacia ſunt; etiam intendit iſtum illarum figurarum ſcriptione expreſſarum uſum. Idem exprimit Apoſtolus loc. cit. not. 2. §. præc.

* Ex-

* Exemplum eſto. DEUS lege ſua inſtituit occiſionem agni paſchalis ceu ſymbolum Meſſiæ occidendi pro redemtione hominum a captivitate dæmonis & peccati; atque inter alias circumſtantias ordinavit Exod. XII. 46 *os non comminuetis ex eo*, in ſymbolum, quod nec Chriſti crucifixi & occiſi os aliquod confringendum ſit: etſi latronum ſimul crucifigendorum oſſa frangenda eſſent. Dum itaque hoc ipſum ut SS. literis conſcriberet, Moſen impelleret, impellebat ipſum, ut figuratam illius eventus per res ſcriptas expreſſionem ſenſu literali exprimeret.

71.

I. *Recte itaque Catholici Doctores & interpretes SS. Scripturarum communi ſententia duos ſenſus in iſtis diſtinguunt*; primum *literalem*, quem verba, in toto contextu poſita, propria virtute ſignificativa exprimunt (64.); alterum *myſticum*, qui eſt ille conceptus, quem res ipſæ literali ſenſu conceptæ & expreſſæ, ceu figuræ ſignificativæ, exprimunt.

II. *Senſus myſticus SS. Scripturarum recte triplex ſtatuitur*, ratione rerum videlicet ſignificatarum triplicis præcipue ſpeciei, nempe alius, qui res futuras credendas de hujus vitæ ſtatu in lege gratiæ exprimit, & uſu recepto *allegoricus* dicitur; alius, qui res in hoc ipſo eodem vitæ ſtatu agendas deſignat, & *tropologicus*, ſeu *moralis*, appellatur; alius denique qui res futuras credendas de ſtatu futuræ vitæ beatæ prædicit, & *anagogicus* vocari conſuevit.

* Inde illud vulgatum: *litera geſta docet: quid credas Allegoria: Moralis, quid agas: quo tendas Anagogia.* Fatendum tamen, nomen *allegoriæ*, revera omnibus tribus

bus proprium, contra vim vocis ad ſolum primum ſenſum in ſpecie ex recepto uſu reſtrictum eſſe.

* Omnium trium exempla ipſæ iterum Scripturæ aperte ſuppetunt. Sic 1.) S. Paulus ad Galat. IV. narrat, Geneſis Capite XVI. *ſcriptum eſſe; quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natum eſſe; qui autem de libera, per repromiſſionem.* Mox vero ſubdit: *quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta &c.* Ecce! ſenſus *allegoricus.* 2.) Deut. XXV. 4. inter legalia præcepta relatum eſt: *non alligabis os bovi trituranti.* At eidem moralem ſenſum de congruo victu verbi DEI prædicatoribus ſuppeditando ineſſe, bis teſtatur Apoſtolus, nempe I. Timoth. V. 18. & I. Cor. IX. 5. 8. & 9. Ecce! ſenſus *tropologicus.* 3) Pſaltes Pſal. XCIV. 11. DEUM loquentem & comminantem Iſraëlitis murmurantibus & idololatris inducit: *quibus juravi in ira mea: ſi introibunt in requiem meam;* quod ipſum allegans S. Paulus ad Hebr. IV. 3. ſeqq. de requie & ſabbatiſmo in cœlo exponit. Ecce! ſenſus *Anagogicus.* Quid quod Chriſtus ipſe illud, quod Pſaltes in ſenſu literali de ſe ipſo & de perfidia amici cujusdam ſui dixit Pſ. XL. 10: *etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem;* Jo. XIII. 18. ſenſu myſtico allegorico ſignificaſſe dixerit proditionem ſui a Juda faciendam: *ut impleatur ſcriptura: qui manducat mecum, levabit contra me calcaneum ſuum.*

** Enimvero illud aſſertum ab eximio ceteroquin viro Cl. Töllnero Francofortenſi ad Oderam Theologiæ Doctore in opere de Divina SS. Scripturarum inſpiratione edit. 1772. pag. 363. non potui non vehementer admirari; qui id genus ſenſus Myſticos, ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ſæ-

ſæpiſſime adhibitos & aſſertos, ad meros accommodatitios ſenſus revocat, & quidem ita, ut ab Apoſtolis ſaltem ſæpe contra apertum literalem ſenſum aſſertos, & Scripturam ab eis ſæpe præciſe ſecundum ſenſum apud Judæos id ætatis receptum allegatam, affirmet. Illud de citata paullo ante ipſius Chriſti explicatione Pſalmi quadrageſimi ex Jo. XIII. 18., hoc de expoſitione Paulina not. præc. n. 1. relata, item de citatione Matthæi II. 15., aliisque pluribus, affirmat, negans abſolute, veros eſſe illos a DEO intentos ſenſus ſcripturarum ab Apoſtolis citatarum, quos illis iſti ceu myſticos tribuunt. Enimvero effugium hoc nimis præceps principiis de vera divinitate ſenſuum ejusmodi myſticorum §§. 69. & 70. a me propoſitis certiſſime præcluditur; ſimulque oſtenditur, Doctores Theologos Proteſtantes a ſenſibus myſticis, quos omnis ſemper catholica Eccleſia cum univerſis SS. Patribus & antiquis Scripturarum interpretibus probavit, haud ſufficiente ex ratione tantopere abhorrere.

72.

III. *Senſus myſticus nunquam ſine literali, bene tamen literalis ſine myſtico eſſe poteſt.* Senſus enim myſticus rebus literali ſenſu expreſſis, ceu ſignis ſuis, ſubſtat. Ergo absque ſenſu literali res illas exprimente ſubſiſtere non poteſt. Contra non omnes res literali ſenſu in Scripturis expreſſæ figuræ rationem habent, ſed eæ ſolum ut plurimum, quas lege aliqua poſitiva DEUS conſtituit cum analogia relate ad alias (69.), deinceps a ſe revelandas, vel præcipiendas.

IV. *Senſus myſticus in literali fundari debet,* id eſt, ineſſe rebus ſenſu literali expreſſis, ceu ſignis ſuis. Unde *recte literalem aliqui primum vocant,* qui

qui ſcilicet alium ſe priorem non habeat; *myſticum vero eum*, *qui primus non eſt*, ſed alio ſe priore ſignificatur.

V. *Unde omnis locus ſcripturæ literalem ſenſum habet a DEO intentum, non vero omnis etiam myſticum.* Sine omni enim ſenſu nullus locus Scripturæ DEO inſpirante ſcriptus exiſtere poteſt; & ſenſus myſticus ſine literali eſſe non poteſt. Ergo &c.

VI. *Aliud eſt ſenſus myſticus, aliud ſenſus literalis metaphoricus*, ex. gr. quo Chriſtus dicitur *Leo*, *Agnus*, *Vitis*, *&c.* ob ſimilitudinem cum iſtis. In illo enim res ſenſu literali ſignificatæ ſigna ſunt rerum aliarum; in iſto voces ipſæ, ſed improprie, ſignificant. *Unde ipſe ſenſus literalis nunc eſt proprius, nunc metaphoricus; uterque tamen ex æquo a DEO intentus* (66).

73.

Senſus literalis non niſi ex verbis, toto contextu, & circumſtantiis univerſis ſimul ſumtis, quæ ſcriptionem talis loci cujusque comitantur, univerſe immediate dignoſci poteſt. Hæc enim omnia reipſa rationem completam ſigni reſpectu ejusdem, ceu ſignificati ſui, conſtituunt.

74.

Senſus myſticus ex magna analogia rerum a DEO lege poſitiva jam antehac conſtitutarum, & in Scripturis relatarum, cum rebus futuris de hujus, vel futuræ vitæ ſtatu credendis, vel cum agendis in hoc præſente vitæ ſtatu, quæ alioquin ſecundum conceptum literalem jam revelatæ, & a DEO præſcriptæ ſunt, probabiliter colligitur: certo vero dignoſcitur

vel

vel ex aliis Scripturæ locis illum conteſtantibus (71. *not.* 1.) *vel ex Eccleſiæ judicio. Primum* ex dictis §. 69. patet; quia analogia illa res ejusmodi idoneas faciebat, ut pro rerum aliarum futurarum a DEO itidem revelandarum, aut præcipiendarum figuris ordinari poſſent, &, niſi aliud poſitive conſtet, ſupponi veriſimiliter poteſt, quod DEUM hunc uſum de illis fecerit (70.): præſertim ſi alius finis id genus poſitivarum legum dignus DEO non appareat. *Alterum* ex propoſitis §. 71. not. 1. exemplis, tum vero per ſe ultro, manifeſtum eſt.

75.

Senſus accommodatitius vocatur, quem locus quisque Scripturæ nec habet ex intentione ſcriptoris perſonali, nec vi expreſſionis literalis, in præſente contextu, nec ex intentione DEI res per literam ſignificantes myſtico ſenſu utentis pro figuris credendorum vel agendorum; ſed quem interpres quisque tribuit eidem applicatione ejusdem ad rem quamlibet utcunque ſimilem propter hanc ipſam ſimilitudinem.

* Aliam S. Hieronymus *commaticam* expoſitionem vocat L. IV. in Matth. ad ejus C. 25.; dum ſola nimirum verba in ſe ſpectantur, nullo habito ad contextum reſpectu; eandemque Hieronymus Epiſt. 103. ad Paulinum acriter reprehendit dicens: *quidquid dixerint, hoc legem DEI putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint: ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam trahere ſcripturam repugnantem.* Sic ex. gr. fingunt, Jobum XXI. 13. verbis illis, *in puncto ad inferna deſcendunt*, minari ſceleſtis repentinam ad inferni pœnas abſtractionem; quem ſenſum ver-

verbis illis a toto contextu abreptis tribuunt: cum tamen vi contextus certum ſit, quod ibi Jobus potius inter proſperitates, quæ hic quidem ſceleſtis obtingunt, iſtud enumeret, quod multi illorum ſubito ſine morbi diutini cruciatibus a deliciis deſcendant in ſepulcrum.

** Senſus proprie accommodatitius ad declarandum, exornandum, alliciendum emphaſi univerſo loco rhetorico *ſimilium* communi in Oratoria ſacra valet, nihil vero ad probandum auctoritatis divinæ participat; ut vel ex data definitione clarum eſt.

76.

I. *Si ſenſus myſticus, qui rebus literali ſenſu expreſſis tribuitur, ad ſignificata talia refertur, quæ nec ad fidem hujus vitæ, nec ad ſpem futuræ vitæ beatæ, nec ad res agendas lege DEI aliqua poſitiva præſcriptas pertinent; mere accommodatitius eſt.* Ad iſta enim tria univerſa vis ſignificativa myſtica rerum in Scripturis occurrentium reſtringitur (71. II.).

II. *Senſus myſticus etiam verus ſe ſolo ad dogmata fidei & præcepta morum probanda non ſufficit.* Ineſt enim rebus literali ſenſu Scripturæ expreſſis, ceu figuris credendorum & agendorum vi alterius revelationis & legis poſitivæ divinæ. Ergo nec ipſe intelligi poteſt, niſi cognita analogia illarum rerum cum rebus alibi revelatis & præceptis, id eſt, niſi jam aliunde cognita ſit revelatio earum rerum; aut obligatio divina poſitiva agendorum, quæ per res illas ceu figuras ſignificantur.

* Recte itaque S. Thomas edixit 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. *ex ſolo ſenſu literali poteſt trahi argumentum.*

III. *Fieri potuit, ut ſenſum myſticum vere a DEO intentum ſubinde SS. Scriptores ipſi non intelligerent.* Præciſe enim a divina intentione pendebat: cum ſolus DEUS ſciret, quid olim in lege gratiæ revelaturus, aut præcepturus eſſet, & quam analogiam cum iſtis res in veteri teſtamento a ſe lege poſitiva ordinatæ haberent, quorum ſcriptionem SS. Scriptoribus inſpirabat.

IV. *Senſus literalis ſemel detectus in Scripturis novi teſtamenti paſſim clavis eſſe poteſt, imo debet, ad ſenſum myſticum veteris teſtamenti Scripturarum intelligendum.* Non enim niſi illo cognito, id eſt, cognitis rebus revelatis & præceptis in novo teſtamento analogia ſcriptarum in veteri teſtamento rerum cum illis, & illarum per iſtas præfiguratio, intelligi poteſt.

V. *Unde ſæpiſſime DEUS ſenſum myſticum nec prævidebat, nec volebat, aliter, aut ante, intellectum iri, niſi poſt revelationes in novo teſtamento factas de ſignificatis illius, & ope iſtarum.* Sic ex. gr. Iſaias forte nec ipſe cogitavit, nec intellexit, nec alius ex ejus contemporaneis in illa ejuſdem prophetia, *ecce! virgo concipiet &c.* Meſſiæ matrem virgineam deſignari ſenſu myſtico longe nobiliore; cum ſenſu literali propheta ſolum de filio a ſe generando ipſe cogitaret.

VI. *Hæc ipſa ratio eſt, cur vulgo ſenſus myſticus ratione objecti repræſentati nobilior ſit literali.* Hic enim figuram verbis exprimit; ille rebus, ceu figuris, figuratum. Atqui figuræ vulgo rebus figuratis minus nobiles & excellentes ſunt.

76.

Regulæ pro ſenſu literali, ceu præcipuo, *intelligendo*

gendo porro ſequentes præ ceteris commendantur. I. *Verba ſunt in ſenſu proprio intelligenda, quamdiu vel evidens abſurdum, vel certum ex contextu indicium, non cogit ad eadem metaphorice ſumenda: contra vero, ſi id alterutra ex his ratio ſuadeat.* Primum regula eſt univerſalis pro omni interpretatione: alterum ex eo ſequitur, quod cum omnia in SS. literis dirigente ſaltem DEO ſcripta ſint, falſum abſolute nihil ineſſe poſſit (17.).

II. *Interpretatio unius loci vera eſſe non poteſt, ſi eidem clare alius quiscunque Scripturæ locus contradicat.* Omnia enim DEO dirigente ſcripta ſunt; etſi a diverſis ſcriptoribus ſcripta ſint: ergo nullibi falſum aliquid eſſe poteſt. Atqui contradictio unius loci falſitatem alterius evidenter importat.

III. *Adjuncta omnia perſonæ ſcribentis, loci, temporis, finis item ſeu ſcopus, adducenda in conſiderationem ſunt, ut verus ſenſus intelligatur.* Hæc enim omnia ſimul loquuntur, & rationem ſigni individuam in quavis parte Scripturæ conſtituunt.

IV. *Contextus omnis probe attendatur, non ſimplex propoſitio abrupta a ceteris* (74. not.).

V. *Si idem diverſis in locis narretur, vel doceatur, conferantur iſti probe inter ſe, & adnotetur, in quo conveniant, quid addatur in uno, quid deſit in altero, quid clare hic, quid ibi obſcure exprimatur; eligaturque talis ſenſus, qui ſalva utriusque veritate ex ceteris notis hermeneuticis ſe offert.*

VI. *Adminicula interpreti Scripturarum ſæpiſſime neceſſaria ſunt notitia linguæ autographæ & textus autographi inſpectio, eruditio hiſtorica de* mo-

moribus & uſibus nationis Hebraicæ circa pondera, menſuras, ritus, regimen &c. item. Geographia, Chronologia, ſubinde etiam Phyſica &c.

VII. *Uſus tamen fontis Hebraici, Syriaci, & Græci, ad regulam ſ. 63. V. datam reſtringi debet.*

VIII. *Ab Eccleſiæ univerſalis judicio* (a* quo communem ſenſum SS. Patrum non differre infra probabimus) *nunquam recedere ſalva interpretationis veritate licet* (63. IV.).

* Ex adverſo regulæ quædam hermeneuticæ, a doctoribus S. Scripturæ Acatholicis ſubinde tradi ſolitæ, falſæ eſſe noſcuntur ex ipſo conceptu & gradu divinæ inſpirationis Artic. præc. explicato. Sic 1) falſa eſt regula, qua docent: *inter plures poſſibiles ſenſus literales, qui eidem loco S. Scripturæ vi literæ convenire poſſunt, ſemper illum eſſe verum, qui nobilior eſt, & rem, ſeu veritatem objectivam, excellentiorem repræſentat.* Ex qua regula ex. gr. de illo ad Galat. III. 27. *quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, inferunt: etſi hic locus præciſe *de participatione doctrinæ, legum, & morum Chriſti*, vel ad ſummum *gratiæ Chriſti*, intelligi poſſit; cum tamen multo excellentior ſenſus ſit, quo eo loco ab Apoſtolis aſſeri videatur, omnes baptizatos ipſius totius *officii* Mediatoris, ac proin Sacerdotii & poteſtatis omnis ſpiritualis ex æquo participes eſſe; hunc poſteriorem ſenſum reipſa verum, & a DEO inprimis intentum eſſe. Enimvero ſi omnis Scriptura de verbo ad verbum a DEO dictata eſſet, qui verba maxima præciſione & ſecundum univerſam eorum ſignificandi abſolutam vim delegiſſet; utcunque veriſimilis hæc regula videri poteſt; atque idcirco de ipſis Chriſti ſermonibus formalibus tunc ſaltem valere poſſet; ſi iſtos conceptis ver-

verbis in idiomate autographo, & non ut plurimum in verſione quadam græca, aut latina, nec contracta ab Evangeliſtis in ſynopſin haberemus. At ſi inſpiratos quidem SS. Scriptores in delectu rerum ſcribendarum, & directos a DEO concipias, præciſe ut ne falſum uſpiam exprimerent, reliquo verborum delectu, ſtylo, atque ordine rerum & verborum ipſorum ingenio & peritiæ relicto: id genus expoſitiones apici cuique minimo verborum innixæ fundamento ſolido carere facile dignoſcuntur; ſimulque eo ipſo iterum alterius interpretis, itidem divinitus directi, Eccleſiæ videlicet, neceſſitas novo veluti ex argumento cognoſcitur; cujus judicio falli neſcio ubivis definiatur, quo usque id genus apici verborum tuto inniti interpretatione noſtra poſſimus. Certe in cujusvis alterius humani auctoris ſcripto exponendo tam religioſa omnium apicum venatio locum non habet. 2.) Falſa ſimiliter regula eſt: *nihil in Scripturis circa voces ſuperfluum, nec ullas in ea tautologias ſuſpicandas eſſe.* Enimvero hæc regula ſupponit, a SS. Scriptoribus delectum vocum modo omnium perfectiſſimo factum eſſe. Mihi quidem veriſimillimum videtur tautologiam in his ſequentibus locis ineſſe: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Luc. I. 35. & in illo S. Petri dicto Act. IV. 12. *Non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* 3.) Falſa regula eſt: *ex ordine, quo res diverſæ a SS. Scriptoribus ſcriptione conjunctæ in eodem loco ſunt, recte colligitur ordo rerum ipſarum ſcriptarum inter ſe mutuo.* Falſum, inquam, eſt, hoc *univerſe* recte colligi. Etenim ordo ſcriptionis rerum earundem ſubinde variat in diverſis locis Scripturarum. Sic ad Rom. V. 1. Apoſtolus hoc ordine diverſa conjungit: *Juſtificati ergo ex fide pacem habemus ad DEUM, - & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum DEI:* qui ordo juſtiſſimus eſt. Sed idem Apoſtolus, qui I. Cor. I. 30. de Chri-

 ſto

ſto ait: *factus eſt nobis ſapientia a DEO, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio*; I. Cor. VI. 11. mutat earundem a ſe dictarum rerum ordinem dicens: *abluti eſtis: ſanctificati eſtis: juſtificati eſtis in nomine D. N. J. Chriſti.* Enimvero hæc omnia iterum probant neceſſitatem interpretis alterius a DEO directi, qui nos doceat, ubi, quando, & quo usque recte ex ordine ſcribendi rerum ſcriptarum ordinem colligere liceat; quæ tautologiæ ſint, quæ non ſint &c. &c.

ARTICULUS V.

QUID DE FIDE ET SALUTE EORUM ACATHOLICORUM SPERARI POSSIT, QUI S. SCRIPTURAM PRO UNICA FIDEI REGULA STATUUNT.

77.

Per *Acatholicos* hic univerſe eos intelligo, qui, quod Eccleſiæ collatam a Chriſto judicandi decretorio judicio falli neſcio poteſtatem in dogmatis fidei ac morum non recognoſcant, eo ipſo illa fidei regula deſtituuntur, quam illud Eccleſiæ catholicæ judicium ſuppeditat.

78.

I. *Acatholici quicunque nihilominus certi eſſe poſſunt certitudine morali de divinitate doctrinæ religionis univerſæ a Chriſto traditæ, & in Scripturis apud univerſos Chriſtianos receptis contentæ* (10. 12).

II. *Iidem certi eſſe poſſunt de divinitate Scripturarum protocanonicarum ſaltem quoad dogmata fidei & morum a Chriſto tradita, & in eis contenta* (43. II. 22. 23.)

III. *Itaque de dogmatis, quæ clare ac certo expreſſa*

preſſa in Scripturis illis protocanonicis, & pro divinitus a Chriſto traditis agnoſcunt, fidem vere theologicam, atque etiam DEO interius illuſtrante & movente ſupernaturalem, de eisdem elicere poſſunt; & quidem cum plena aſſenſus firmitate & univerſalitate: ſiquidem circa nullum aliud dogma divinitus item revelatum, & nominatim circa inſtitutionem Eccleſiaſticæ poteſtatis falli neſciæ (77.), *propria ex culpa errent.* 2.) *Elicita ſemel fide theologica ſat firma, uni[illegible]rſali, & ſupernaturali, nihil obſtat, quo minus i[illegible]m juvante interius DEO item ſupernaturalem ſpem & caritatem DEI ſuper omnia theologicam. item ſerium, efficacem, & ſupernaturalem dolorem de admiſſis peccatis, cum efficaci emendationis propoſito, elicere queant.*

IV. *Fieri poteſt, ut Acatholici, non ſolum indocti, & rudes, ſed etiam cetera doctiſſimi, atque etiam Theologi, absque culpa errent circa dogma poteſtatis Eccleſiæ ejusque rectoribus a Chriſto traditæ in definiendis judicio falli neſcio dogmatis fidei.* Nam ex una parte nullus catholicorum doctorum dicit, dogma iſtud de auctoritate prædicta Eccleſiæ pertinere ad articulos fidei ſcitu abſolute &, ut ajunt, neceſſitate medii neceſſarios ad obtinendam ſalutem æternam. Ergo nec gratia illuſtrans fidei de hoc dogmate pertinet ad eas neceſſarias ſufficientes gratias, quas DEUS nulli adulto homini citra ſuam ipſius culpam denegare poteſt. Ex altera parte fieri poteſt, ut Theologus etiam Acatholicus utcunque doctus in iis Scripturæ & ipſius Chriſti propriis verbis, ex quibus Catholici Eccleſiæ a Chriſto conceſſam fuiſſe illam auctoritatem inferunt, argumentum illius certum atque convincens non deprehendat; quippe quæ, ceu adhuc obſcura ipſi catholici variis, & literæ tenori nequaquam conſentaneis interpretationibus in diverſos ſenſus trahere ſolent (Demonſtr.

Cath. 208. not. 3.). Ergo &c. &c. Quod vero de doctis dictum modo eſt, a fortiori de imperitis & rudibus valet; qui vulgo alioquin certitudine ſolum reſpectiva de divina dogmatum revelatione ex doctiorum, quos pro ſinceris teſtibus habent, teſtimonio gaudere ſolent.

* Confirmant haud dubie in errore prædicto invincibili multos Acatholicos etiam cetera doctiſſimos tum præjudicia a teneris adverſus catholicam Eccleſiam concepta, tum abuſus varii ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ ipſius, ſubinde in politicos uſus aut deſpotismum degenerantis, aut ultra modum exaggerari ſolitæ, ſeu circa immoderatas varias religiones ſuperſtitioni vicinas, quas, etſi Eccleſia nequaquam approbet, tamen nec univerſas ſemper tollere e medio poteſt; tum denique mere exiſtimatæ ſuperſtitiones, quas vel ex errore ac defectu propioris experientiæ, vel ex præpoſteris notionibus de cultu Sanctorum, imaginum, reliquiarum, cerimoniarum &c. &c. in Catholicis reprehendunt.

79.

Acatholicis ergo eo ipſo præciſe, quod Eccleſiæ auctoritatem falli neſciam in rebus fidei abjudicent, ſalutis ſpem abjudicare nemo doctus catholicus cum fundamento ſolido poteſt (præc.).

80.

Nihilominus, quoniam in SS. Scripturis interpretandis univerſe ea regula ſecuriſſima & unice ſufficiente (37. 38) Acatholici omnes carent, quam Eccleſiæ judicium falli neſcium catholicis ſuppeditat: idcirco 1) *fieri in proclivi eſt, ut Scripturam, plurimis locis obſcuram, ex proprio utcunque limato &*

& ſagaci judicio explicantes errent in plurimis dogmatis, quorum vera fides & certa notitia eſt ad ſalutem vel omnino neceſſaria, vel certe ad ejus ſecuritatem facilitatemque ſumme utilis. 2.) Unitas vero doctrinæ fidei ob defectum ſufficientis ac generalis regulæ (37.) *apud eosdem plane impoſſibilis redditur.*

* Prioris partis veritatem exempla notiſſima confirmant. Quam periculoſa eſt Calviniſtarum doctrina infantibus, qua tenent, *baptiſmum fidelium liberis etiam in infantia morientibus non eſſe neceſſarium ad ſalutem.* Opinio Lutheranorum *de fide ſine operibus juſtificante* principia moralitatis univerſa evertit; prout ad evidentiam usque plenam oſtendi in *Ethica univerſali* Chriſtiana §. 544. not. Doctrina *de prædeſtinatione* Lutheranis & Calviniſtis communis omne ſalutis ſtudium enervat. Defectus *Sacramenti Pænitentiæ* innumeris emendandæ vitæ male actæ auxiliis, ſtimulis, exhortationibus, bonis conſiliis, inſtructionibus &c. omnes Acatholicos privat. *Hierarchici ordinis & ſupremæ poteſtatis* atque inſpectionis, Capiti Eccleſiæ competentis, everſio, ſi penes Acatholicos ſtaret, barbaros omnes homines Apoſtolico Zelo prædicantium ipſis Evangelium dudum privaſſet &c. &c. Nemo enim in ipſorum Eccleſiis, qui ſaluti univerſorum invigilet, & novas oves in ovile adducere cum divino Paſtore collaboret. Denique ſublata ſemel unitate fidei unitas mutuæ caritatis & pacis inter diviſas Eccleſias, imo & concordia politica ceſſat.

81.

Qui ſciens ac volens errat in recognoſcenda auctoritate Eccleſiæ a Chriſto inſtituta, vel in quovis alio dogmate a DEO revelato; enimvero is nulli articulo fidei ſat firmo, efficaci, & univerſali aſſenſu fidei ſupernaturali aſſentiri poteſt; proinde nec ſperare,

nec amare DEUM ſuper omnia, ſpe & amore ſupernaturali; atque adeo nec ſalvari poteſt.

CAPUT II.

DE TRADITIONIBUS.

82.

Traditio in genere eſt veritatis alicujus, ab eo, qui ejus conſcius eſt, communicatio facta aliis viva voce, non ſcripto. *Sacræ traditiones* regulæ religionis ſunt, viva voce a teſtibus earum conſciis ad alios transmiſſæ. Unde inter Chriſtianos alia eſt *traditio divina*, quam Chriſtus ipſe primus tradidit non ſcriptam divinitus, ſive a ſe, ſive ab aliis: alia *traditio mere Apoſtolica*, quam primi tradidere Apoſtoli, a Chriſto non acceptam: alia *mere Eccleſiaſtica*, quam ab Apoſtolis non acceptam alii ex prioribus Eccleſiæ rectoribus tradidere poſteris.

83.

Extitere traditiones divinæ in veteri teſtamento, & in novo. 1) *In veteri* usque ad Moſen omnia dogmata fidei revelata Adamo, & Patriarchis, & per hos annuntiata omnibus ceteris recte credentibus, ipſaque lex circumciſionis Abrahamo & ejus poſteris data, non niſi viva voce a DEO tradita, & per illos propagata fuere; nominatim dogma peccati originalis, promiſſio redemptoris, reſurrectio mortuorum (de qua Job C. XIX.) electio gentis Abrahami peculiaris &c. &c. *In nova teſtamento* Chriſtus primo univerſam ſuam doctrinam divinam Apoſtolis non ſcripto, ſed viva voce tradi-

dit;

dit; quin de illa ante annos fere duodecim aliquid omnino ſcriberetur: imo quin extet documentum ullum de præcepto determinato a Chriſto Apoſtolis impoſito ſcribendi ſeu aliquid de illa omnino, ſeu univerſum ſuæ doctrinæ ſyſtema: etſi prædicationem illius univerſæ conceptis verbis præceperit: *docete omnes gentes, docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Unde nec omnes Apoſtoli ſcripſere; diuque fideles in diverſis regionibus extitere ſine ullis ſcripturis, etiam poſtquam iſtæ jam conſcriptæ fuerant, teſte S. Irenæo L. III. c. 4. Et vero gentibus barbaris, imo etiam latinis, Græce, Syriace, & Hebraice non intelligentibus, fruſtra primum Scripturas etiam jam exaratas divinitus Apoſtoli & Apoſtolici viri obtruſiſſent. *Traditionibus itaque, non Scripturis divinis, Eccleſia primum fundata eſt.* 2) Scripturæ interpretatio in multis locis ita difficilis eſt, ut ea *myſteria*, quæ Chriſtus, ceu a ſe tradita, omnes doceri voluit, & *præcepta*, quæ ſervari item ab omnibus voluit, intelligi ſolis ex Scripturis moraliter ſit impoſſibile (37.). Tale *myſterium* eſt SS. *Trinitas*, & *proceſſio S. Spiritus a Patre & Filio*, item SS. Euchariſtia, an vera panis converſione, an ſymbolica tantum ratione conſiat &c. Tales *leges* ſunt de Baptismo parvulis neceſſario, non item neceſſaria eisdem Euchariſtia; cum utriusque neceſſitas pæne eisdem verbis in Scripturis affirmetur; item de non iterando baptismo ab hæreticis collato &c. Cum ergo novæ revelationes divinæ porro non ſuppetant; niſi Chriſtus apertius viva voce declaraverit mentem ſuam & voluntatem de his, easque divinas traditiones Apoſtoli itidem viva clariore voce & promulgatione transmiſerint ad poſteros; ne Eccleſia quidem regulam habebit, ex qua de ratione vera myſteriorum illorum, & extenſione legum prædictarum ſtatuere poſſit. 3.) Nusquam

quam Sacri Scriptores profitentur in SS. literis, vel unum aliquem ex eis ſingillatim, vel omnes ſimul, integrum ſyſtema religioſæ doctrinæ & legum a Chriſto traditarum conſcribendum propoſitum habuiſſe: ſed quisque illorum particulari conſilio conſcribit ea, quæ ſcribenda illi particularis occaſio ſuadebat, & quæ memoriæ tunc in ordine ad præſens propoſitum occurrebant idonea. Vide dicta §§. 40. 42. Imo ſæpius ipſi teſtantur, ſe plura viva voce deinceps adhuc tradituros, vel jam alias tradidiſſe fidelibus, quibus antehac prædicaverant Evangelium, quam ſcripturis exprimendi conſilium cepiſſent. Sic S. Joannes II. Epiſt. v. 12. ſcribit: *plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Et S. Paulus II. Theſſ. II. 14. *itaque fratres*, ſcribit, *ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Ubi ſane *traditiones* recte vocat etiam ea, quæ ipſe in prima ſua ad eosdem Theſſalonicenſes epiſtola jam ſcripſerat divinitus, nempe de *reſurrectione mortuorum* & *univerſali judicio* (I. Theſſ. IV. 12. & ſeqq.): quia reipſa primitus meræ divinæ traditiones fuere; antequam ſcriberentur. Rurſus idem Apoſtolus II. Timoth. I. 13. ſcribit Timotheo, a ſe in Epiſcopum ordinato: *quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Enimvero iſta ipſorum Apoſtolorum dicta, ipſa SS. Scripturarum frequens obſcuritas, gradus inſpirationis ſupra explicatus (§§. 40. 41. 42.) ad evidentiam usque evincunt, ſine ullo fundamento SS. Scripturas a DDis Proteſtantibus pro completa omnium fidei doctrinarum regula & veluti compendio haberi.

4.) Sed & extant iſtius *ſenſus Eccleſiæ perpetui de divinis traditionibus, præter SS. Scripturas a* Chri-

Chriſto per Apoſtolos tranſmiſſis, teſtimonia omni exceptione majora apud primos præcipuosque PATRES & Scriptores Eccleſiæ. a) *S. Irenæus* L. III. c. 4. *Quid autem*, inquit, *tunc foret remedii, ſi Apoſtoli nihil ſcriptum nobis reliquiſſent? Nunquid ad traditiones illis viris relictas, quibus Eccleſias commiſerunt, eſſet recurrendum. Hoc ipſum multæ nationes barbaræ obſervant, quæ ſine papyro & atramento* (certe ſine notitia græci, ſyriaci, & Hebræi idiomatis) *in JESUM Chriſtum credunt, doctrinam ſalutis ſcriptam in cordibus ſuis habentes, & antiquam traditionem fideliter tenentes.* Eodem L. III. C. 3. non teſtimoniis Scripturarum, ſed *traditione Romana ab Apoſtolis accepta, ea fide omnibus hominibus annuntiata, & usque ad nos per ſucceſſionem Epiſcoporum continuata*, ait, *omnes illos confundi, qui conventus ſpurios & illegitimos celebrant.* b.) *Tertullianus* in L. de corona militis (quem circa a. 208. jam Montaniſta ſcripſit) c. 3. *quæramus*, inquit, *an & traditio, niſi ſcripta, non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus.* Tum poſt multa prolata talium obſervantiarum exempla, cap. 4. ſic pergit: *harum & aliarum ejusmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Quo quidem loco Tertullianus divinas, & Apoſtolicas, Eccleſiaſticasque traditiones ex æquo inter ſe confundit. c.) *S. Baſilius* L. de Spiritu Sancto cap. 27. ſic habet: *dogmata, & inſtituta, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus e doctrina ſcripto prodita; quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem*

vim habent ad pietatem: nec his quisquam contradicit quisquis ſane vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint jura Eccleſiaſtica d.) *S Epiphanius* hæreſ. 61. *Oportet vero & traditione uti: non enim omnia a divina Scriptura poſſunt accipi.* e) *S Chryſoſtomus* Hom. IV. in Epiſt. II. ad Theſſal. *patere*, ait, *quod non omnia per epiſtolam tradiderint Apoſtoli, ſed multa etiam ſine literis, & eadem fide digna eſſe tam illa, quam iſta.*

5.) Unde denique Tridentinum Concilium Seſſ. IV. decreto ſolenni profitetur, *omnem veritatem & diſciplinam ſalutarem, quam Chriſtus proprio ore promulgavit, & per ſuos Apoſtolos prædicari juſſit, in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus contineri, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt* imo mox ulterius profitetur, ſe *omnes libros utriusque teſtamenti, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes. tanquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſervatas, pari pietatis affectu & reverentia ſuſcipere, ac venerari.*

* Exemplum celebre de agnita primis Eccleſiæ ſeculis traditionum divinarum auctoritate eſt reſponſum S. Stephani I. Papæ in controverſia de iterando Baptiſmo ab hæreticis collato. *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt.* Ubi quidem de medio ad ſalutem per ſe neceſſario agebatur.

84.

Traditiones divinas, ſi de iis ſatis certo conſtet, prorſus ut vult Tridentinum. pari pietatis affectu & reverentia ſuſcipere ac venerari cum SS. Scripturis tene-

tenemur. Non minus enim illæ verbum ipſius DEI ore prolatum ſunt, imo immediatius etiam quam Scripturæ divinæ qua tales: eo quod illæ immediata DEI locutione, revelatione, & inſtitutione prolatæ ſint (83.); Scripturæ vero divinæ DEUM non niſi mediatum auctorem habeant, quatenus a DEI inſpiratione ſcriptæ ſunt (14. 34. 35. 36.).

85.

Eccleſia certum judicium ferre poteſt, idemque falli neſcium, de veris & non veris traditionibus divinis. Chriſtus enim Apoſtolis & toti Eccleſiæ in S. Petro ceu fundamento fundatæ promiſit perpetuam aſſiſtentiam & directionem S. Spiritus in docenda & prædicanda omni ea veritate, quam ipſe illos ore ſuo divino docuerat. Atqui traditiones divinæ ſunt veritates ore Chriſti divino traditæ (82.) Ergo in his docendis promiſit eisdem Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus in S. Petri ſucceſſore fundatis perpetuam S. Spiritus directionem. Atqui Eccleſia docens aliquid dirigente S. Spiritu errare non poteſt, ejusque tale judicium reipſa divinam habet auctoritatem (16. 17.) Ergo &c. &c.

86.

Priusquam Eccleſia judicium ferat, vel de ejus communi conſenſu unde conſtet, diverſa ſentire de traditione divina ab aliis allegata licebit: aſt ubi de Eccleſiæ certo judicio conſtat, repudiare illam porro non licet. Ita quidem SS. Cyprianus, & Firmilianus, aliique Afri, & Orientales Epiſcopi, illis adhærentes, Eccleſiæ decretoria ſententia adhuc deſtituti, recipiendæ traditioni divinæ de valore Baptiſmi hæreticorum ſe oppoſuere. Poſtquam vero Eccleſia in Nicæno Concilio de eo facto ipſo, & recipi-

cipiendo Novatianorum baptiſmo, illam declaravit, pulcre S. Auguſtinus dixit: *non accipio, quod de rebaptizandis hæreticis B. Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit.*

87.

Apoſtolicæ traditiones & dari poſſunt, & actu dantur, & cum reverentia recipiendæ ſunt & obſervandæ; quamdiu ab Eccleſia non abrogantur. Haud enim aliud ſunt, quam regulæ religionis & morum ab Apoſtolis primum viva voce primum per modum legis conſtitutæ pro tota Eccleſia, vel etiam ſubinde pro particularibus Eccleſiis (82.). Atqui tales conſtituere regulas Apoſtoli potuere, ceu poteſtate legislatrice, tum ſinguli in particulares Eccleſias, tum univerſi in concurſu cum S. Petro in Eccleſiam univerſalem, a Chriſto Domino inſtructi (Demonſtr. Cathol.). Ergo poſſunt dari &c. *quod primum.* Tales vero actu ab Apoſtolis conſtitutæ traditiones ſunt illa lex, Act. XV. in Jeroſolymitano Concilio ſtatuta de abſtinentia a ſanguine & ſuffocato, illæ leges de bigamis non ordinandis, de Neophytis non ordinandis in Epiſcopos, de die Dominico loco Sabbathi ſanctificando, de Paſchate celebrando poſt decimam quartam Lunæ menſis primi proximo die Dominico &c. quarum aliquæ quidem poſtea etiam divinitus ſcriptæ & conſignatæ in SS. literis ſunt; aliæ non item: *quod erat alterum.* Denique Apoſtoli ſtatuentes tales regulas ipſi Act. XV. profitentur, ſe in illis proponendis & tradendis a Spiritu Sancto regi: *viſum eſt Spiritui Sancto & nobis nihil ultra vobis imponere oneris, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos - - - a ſanguine & ſuffocato.* Tum vero ſuperiori legitime quid præcipienti ſemper reverentia & obedientia debetur; quamdiu legis obligatio tenet

tenet. Ergo tales Apoſtolicæ traditiones etiam cum reverentia & obedientia recipiendæ ſunt: quamdiu ab Eccleſia non abrogantur: *quod tertium erat.*

88.

Traditiones mere Eccleſiaſticæ ſunt Canones ſeu leges, non jam ab ipſis Apoſtolis, ſed a ſucceſſoribus Apoſtolorum, Epiſcopis videlicet & Romano Pontifice, inſtitutæ (82). Cum enim poteſtas legiſlatrix perpetua Eccleſiæ rectoribus a Chriſto data fuerit (Dem. Cath. 215.); patet, æque ſucceſſoribus Apoſtolorum Epiſcopis & Romanis Pontificibus eam poteſtatem ſubinde novas religionis regulas & leges hinc inde pro exigente utilitate vel neceſſitate Eccleſiæ, ſeu univerſalis, ſeu particularis, conſtituendi competere; eisdemque non minus, quam ipſis Apoſtolicis regulis, & traditionibus, morem gerendum eſſe.

89.

Meræ Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ traditiones variabiles ſunt tum pro diverſis temporibus, tum pro diverſis Eccleſiis particularibus. Leges enim revera humanæ ſunt, & tali auctoritate Eccleſiæ rectorum conſtitutæ, quæ eadem ſemper & æqualis eſt in primis ejus rectoribus Apoſtolis, & in eorundem ſucceſſoribus Epiſcopis. Ex altera parte rationes ſufficientes legum humanarum aliæ aliis temporibus, & aliæ aliis in locis & provinciis eſſe poſſunt; ob quas leges illæ nunc prudenter, alias minus prudenter & utiliter ferrentur, & urgerentur. Ergo ob mutatas iſtas rationes ſufficientes etiam jam olim latæ ab Apoſtolis, vel eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, leges ab aliis ſucceſſoribus mutari & abrogari;

aut etiam primitus ſolum ab aliquibus illorum pro certis Eccleſiis particularibus ferri, quin recipiantur ab aliis, poſſunt.

* Sic reipſa mutata eſt lex & traditio Apoſtolica de non comedendo ſanguine & ſuffocato. *Quis*, ait Auguſtinus L. XXXII. cap. 15. contra Fauſtum, *quis jam hoc chriſtianus obſervat, ut minores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus? -- Qui, forte pauci, adhuc tangere iſta formidant, a ceteris ridentur.* Nimirum ratio legis illius ſucceſſu temporum mutata eſt; quæ in eo erat, quod aliquid ſaltem concedi adhuc venerationis legibus antiquis vellent Apoſtoli ad Judæos Chriſtianæ religioni facilius conciliandos. Contra Jejunium Sabbatinum ſolum occidentali in Eccleſia introductum erat; quod in Orientali etiam alicubi vetitum erat. Sanctus enim *Ignatius* in Epiſt. ad Philadelph. ita ſcribit: *ſiquis jejunaverit ſabbato, præterquam uno ſolo*, (Sabbato ſancto videlicet, quod exceptum erat) *interfector Domini eſt.* Veriſimiliter id ſtatutum ob querelas Judæorum, conquerentium legem Moſis tali jejunio omnino reprobari ut malam.

90.

Traditiones vere divinæ invariabiles ſunt. Nunquam enim DEUS conceſſit Eccleſiæ poteſtatem abrogandi ſuas ipſius leges, aut in eis diſpenſandi (Dem. Cath. 226. 228.), ſed potius Chriſtus conceptis verbis juſſit Apoſtolos *omnes gentes docere, ſervare omnia, quæcunque ipſe eis dixerat.*

91.

Regulæ pro diſcernendis traditionibus ſequentes ſerviunt: 1) S. Auguſtini L. IV. de Bapt. c. 213. *Quod*

Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur. Hanc regulam S. Pater adhibet ad probandum, quod dogma de Baptiſmi virtute etiam parvulos ſanctificante ab ipſis Apoſtolis traditum ſit: etſi ſcriptum in SS. literis non extet. Ratio regulæ hujus eſt, quod ea, quæ inde ab Eccleſiæ principio ſeu pro dogmatis fidei, ſeu pro legibus univerſam Eccleſiam obligantibus, habita ab univerſis fidelibus ſunt, non niſi ab Apoſtolis Eccleſias omnes fundantibus tradi potuerint. Sed hæc regula non definit, an talia pro meris traditionibus Apoſtolicis, an vero etiam pro divinis, habenda ſint. 2) *Tum leges morum, tum dogmata, quæ univerſa Eccleſia ſemper & ubique pro divinis habuit, etſi SS. literis non exprimantur, pro vere divinis legibus & traditionibus habenda ſunt* (85.). 3) *Leges, quas imponendi poteſtas excedit poteſtatem omnem humanam, Eccleſiæ etiam divinitus conceſſam, pro divinitus traditis habendæ.* Talis eſt lex confeſſionis diſtinctæ peccatorum. 4) *Quæ diverſis temporibus varie obſervata ab Eccleſia ſunt, vel mere Apoſtolicæ, vel mere Eccleſiaſticæ traditiones fuiſſe cenſendæ ſunt* (89. 90.).

CAPUT III.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE CHRISTI.

91.

Eccleſia Chriſti eſt ſocietas hominum in Chriſtum DEUM Hominem vere credentium, & baptiſmi receptione divina ejuſdem lege ſe obligatos externe profitentium ad communem æternam ſalutem iiſdem

communibus mediis, a Chriſto præſtitutis; (id eſt, ejusdem Chriſti legis ac fidei, eorundemque Sacramentorum ab eo inſtitutorum communione) ſub regimine & obedientia rectorum ab ipſomet conſtitutorum, uniusque inprimis ſupremi ejus Vicarii, quærendam & promovendam.

* Definitioni iſti nihil addi, nihil detrahi poſſe, ex oſtenſis in Demonſtratione Catholica, facile demonſtro. Oſtendi enim, Eccleſiam Chriſti eſſe *Societatem legalem* ſimul & *voluntariam*, id eſt, cujus natura non voluntario pacto hominum ſed divina Chriſti lege definita ſit, ita tamen ut aſſociatio ipſa voluntaria cuique ſaltem adulto ſit, & viſibili modo fiat; ob quod ipſum Eccleſia tota *viſibilis* ſimul Societas exiſtat: denique eſſe *Societatem mere ſpiritualem*. Finis itaque ſpiritualis, media ad finem, & obligatio ipſa per ea determinata media ad eum finem contendendi, a Chriſto DEO homine, fidei ſuæ lumen infundente ſingulis, & illa media prædicti finis cauſſa inſtituente, determinantur. Aſſociatio vero actualis *voluntaria* & *viſibilis* eſſe debet, ac proinde voluntaria obligationis, interius promulgatione divina per lumen fidei acceptæ, profeſſione per illud ipſum ſignum viſibile fieri debet, quod Chriſtus inſtituit, receptione baptiſmi videlicet, & profeſſionis ſemel per eum factæ continuatione. His præmiſſis patet 1.) ad hoc, *ut quis membrum Eccleſiæ ſit, requiri veram fidem in Chriſtum*: ſine hac enim aut obligatio ad communem finem per media a Chriſto inſtituta quærendum vel defectu notitiæ ſufficientis haud datur omnino, vel certe ejus profeſſio externa, ac proinde etiam aſſociatio actualis viſibilis, ſeria vereque voluntaria non eſt. 2.) *Requiritur externa obligationis divinitus acceptæ, & a Chriſtiano recognitæ, profeſſio externa per baptiſmi receptionem.* Cum enim Societas Eccleſiæ *viſibilis* ſit, aſſociatio ad eandem viſibili ſigno, &, cum eadem *legalis* ſimul ſocietas ſit, ſigno

ſigno legali, id eſt, a Chriſto inſtituto & præſcripto, fieri debet. Porro ſolum profeſſio obligationis divinæ, non nova per pactum ſeu promiſſionem propriam obligatio humana, requiritur: quia legalis natura ſua Societas eſt, cujus obligatio tota lege divina imponitur, ita, ut ſola viſibilitas obligationis & membrorum Societatis a voluntaria profeſſione externa dependeat. Certe promiſſiones a baptizandis adultis exigi ab Eccleſia ſolitæ ad ſubſtantiam baptiſmi non pertinent. 3) *Finis & media ad ſubſtantiam & ſpeciem cujusque Societatis pertinent.* 4) *Eadem in legali Societate lege ſuperioris eam inſtituentis determinari debent, ſicuti & regiminis forma & modus.* Jam vero per ſe patet, media a Chriſto ordinata eſſe univerſe *ejusdem Chriſti legis ac fidei, & eorundem Sacramentorum ab eodem inſtitutorum communionem. Regimen* denique *Epiſcoporum*, & *horum ſubordinationem ad unum ſupremum Chriſti in terris Vicarium, a Chriſto ipſo inſtituta eſſe*, ſingillatim in Dem. Cath. oſtendi. Verum eſt, poſteriora hæc omnia contineri jam illis verbis *communibus mediis a Chriſto præſtitutis.* At enim ſatis diſtincta definitio non eſſet, niſi, quæ illa in ſpecie media eſſent, præciſius adderetur. His autem diſtincte enumeratis abſolutiſſima definitio eſt.

ARTICULUS I.

DE AUCTORITATE ECCLESIAE CHRISTI IN REBUS FIDEI.

93.

Auctoritas Eccleſiæ eſt illa ratio ſufficiens, ex qua cognita intelligitur teſtimonium Eccleſiæ eſſe veridicum, id eſt, eam & veritatem, quam docet,

vel teſtatur, vere compertam habere, & ſincere edicere velle.

94.

Auctoritas cujusque *teſtimonii divina* dicitur, ſi ratio ſufficiens ultima adæquata, ex qua teſtis quisque verum teſtari certo cognoſcitur, eſt ipſa DEI veracitas, aliquo ex modis §. 16. enumeratis ſic influens, ut omne falſum excludat (17.). Porro ſicuti Scripturæ (14.), ita & locutionis cujuscunque DEUS vel auctor immediatus, vel mediatus eſſe poteſt: primo caſu ipſe *DEUS loqui* dicitur, cum videlicet locutionis ita eſt auctor, ut ſua ipſius judicia immediate de rebus locutione ſignificet: altero *loquentem alium DEUS dirigere* dicitur, *eidemque inſpirare loquenda*, ſi & voluntatem loquendi ac prodendi talia ſua ipſius judicia ingerat, & ſua illuſtratione (15. n. 1.) impediat, ne falſum dicat. Si inſpiratio abſit, *ſolum dirigere loquentem DEUS* dicitur.

95.

Eccleſia in ſuis teſtimoniis & oraculis, quæ per ſuos rectores de rebus fidei divinæ & ad regulas æternæ ſalutis divinitus revelatas pertinentibus ſecundum legem fundamentalem a Chriſto conſtitutam edit, habet revera auctoritatem divinam. Vi enim promiſſi divini a Chriſto dati Chriſtus eſt *in medio* rectorum Eccleſiæ, *in nomine* ipſius convenientium Matth. XVIII. 20., id eſt, ſecundum legem fundamentalem ab ipſo Matth. XVI. 16. ſtatutam (Dem. Cathol. §§. 134. 138.) regentium fideles; & cum de rebus fidei agitur, & S. Spiritum omnia *ſuggeſturum* illis, quæcunque ipſe Apoſtolis dixiſſet Joann. XIV. 16, & ſuam aſſiſtentiam eis Chriſtus promiſit ita, ut *inferorum portæ nunquam adverſus Eccleſiam* poſ-

poſſint prævalere, id eſt, in errorem fidei perducere, ſeu rectores ipſos docentes, ſeu fideles illis credentes. Atqui ex hac ipſa ſuggeſtione ſeu directione Spiritus Sancti & aſſiſtentia Chriſti, ceu influxu quodam immediato ipſius veracitatis DEI, intelligitur, tanquam ex ratione ultima adæquate ſufficiente, Eccleſiæ teſtimonia talia & oracula vera eſſe. Ergo Eccleſia dicta oracula in rebus fidei habent auctoritatem divinam (præc.).

* Fieri haud dubie hoc, uti in SS. Scriptoribus, poteſt ſalva libertate rectorum Eccleſiæ docentium, ita videlicet, ut DEUS non niſi tales ad hoc officium deligat, quos prævidet obſecuturos inſpirationi & lumini, cujus auxilio ipſos in docenda veritate fidei eſt directurus. Quamquam nil iſthic obſtat, quo minus admitti poſſit, DEUM rectores obſtinate errori addictos etiam aliquando poſſe gratia neceſſitante ad verum docendum adigere, ſicuti Caipham.

96.

I. *Eccleſiæ Chriſti oracula ſolemnia in rebus fidei divinam auctoritatem habent, ſeu voce viva, ſeu ſcripto proponantur; modo ea edantur ſecundum legem fundamentalem a Chriſto præfixam.* Non enim promiſſa ſua ad alterutrum proponendi modum Chriſtus reſtrinxit.

II. *Eccleſiæ docentis oracula, etſi vere divinam habeant auctoritatem* (præc.); *tamen non ſunt immediatæ locutiones ipſius DEI, multo minus novæ revelationes dogmatum jam a Chriſto traditorum.* Non enim ipſe DEUS immediate ſua judicia per locutionem rectorum Eccleſiæ prodit; ſed iſti produnt, quid dirigente S. Spiritu de dogmatis a Chriſto traditis ſentiant. Ergo &c. &c. (94.).

III. *Fides auctoritati Eccleſiæ docentis innixa non firmitate aſſenſus, nec gradu infallibilitatis differt a fide qua DEO immediate loquenti credimus; ſed qualitate motivi formalis.* Eſt enim etiam Eccleſiæ auctoritas vere divina (95.), & divina auctoritas ſemper æque infinita eſt, & abſolute falli neſcia, ſeu immediate ipſe DEUS loquatur, ſive is alium loquentem ſolummodo dirigat. Nihilominus *fides Eccleſiaſtica* qua ſcilicet Eccleſiæ credimus, proponenti aliquod dogma fidei, nititur locutione immediata humana rectorum Eccleſiæ & auctoritate DEI illos in loquendo dirigentis: contra *fides divina* nititur locutione immediata divina & DEI auctoritate.

IV. *Suppoſita hac auctoritate divina infallibili a Chriſto Eccleſiæ conceſſa, & rite promulgata fidelibus, nec opus erat, ut Apoſtoli totum ſyſtema ex aſſe completum doctrinæ & religionis a Chriſto ſibi traditum ſcripto authentico, eoque clariſſimo, conſignatum poſteris relinquerent; nec idem erat conſultum.* Viva enim Eccleſiæ rectorum vox longe magis idoneum & facile medium erat pro univerſis fidelibus ex cunctis terræ partibus convocandis ad Eccleſiam, longe diverſiſſimi idiomatis, peritiæque in legendis & intelligendis ſcripturis etiam vernaculis, ne dicam extraneo ac peregrino idiomate exaratis. Tum vero ſuppoſito hoc remedio potius conſultum erat, ut ne ſcripto clariſſimo ſatis jam inſtructi ab audiendis Eccleſiæ rectoribus averterentur.

* His recte addes alias ſapientiſſimas rationes: 1) quia conſultum non erat, cuivis tyroni & catechumeno, adhuc inepto ad ſumma quævis myſteria pari fidei ſubmiſſione recipienda, imo ipſis adhuc infidelibus, cuncta Chriſtianæ religionis dogmata ſimul propalare: 2.) quia vox viva rectorum Eccleſiæ non tantum ad docendum, ſed etiam ad

per-

perſuadendum, ad arguendum, & corrigendos obſtinatos valet: 3.) quia decebat ex multis aliis cauſſis in Eccleſia ſubordinationem eſſe docentium & diſcentium; præcipientium ac fidem juxta atque executionem legum divinarum pro auctoritate exigentium, & obedientium ſubditorum: 4.) rudes omnium literarum nec per Scripturas, nec per interpretum mere humana auctoritate pollentium explicationem ſine perpetuis novis miraculis ſatis apte inſtrui & doceri poterant.

97.

Objecta, quæ ob revelationem ſeu locutionem immediatam ipſius DEI credi poſſunt, alia ſunt, quæ appellantur *formaliter revelata*, ea videlicet, quæ ſecundum proprias ſuas rationes ſeu conceptus formales & eſſentiales locutione DEI immediata expreſſæ ſunt; alia *virtualiter tantum revelata*, ea nimirum, quæ cum rebus formaliter revelatis ita connectuntur, ut formaliter revelata vera eſſe non poſſint, quin etiam iſta connexa vera ſint.

* *Ad formaliter revelata pertinent propoſitiones ſingulares*, quæ ſecundum rationes proprias individuas & formales continentur in aliis particularibus & univerſalibus formaliter revelatis: ut ſi aſſumas revelatam eſſe hanc univerſalem propoſitionem, *omnis homo conceptus ex Adamo peccavit in Adamo;* uti & hanc propoſitionem particularem, *ego ſum conceptus ex Adamo:* etiam hæc particularis, *ego peccavi in Adamo*, ceu formaliter contenta in prioribus duabus formaliter revelatis, formaliter erit revelata.

** *Ad virtualiter revelata ſpectant* 1.) *attributa eſſentialia* earum veritatum, quæ formaliter revelatæ ſunt: ſic ex. gr. formaliter revelatum eſt, *Chriſtum eſſe verum hominem natura;* cum ergo humanæ naturæ attributum ſit

eſſe capacem affectuum humanorum, gaudii, riſus, triſtitiæ &c. virtualiter revelatum eſt, *Chriſtum eſſe capacem eorundem affectuum humanorum*: 2.) *veritates abſolutæ, reſpondentes formaliter revelatis conditionatis veritatibus*, de quarum purificatis conditionibus aliunde quam ex DEI revelatione ſeu locutione immediata certi ſumus. Sic cum formaliter revelata ſit hæc conditionata propoſitio, *omnis, qui perſeveraverit in finem, ſalvus erit;* ſi certi ſimus, ex. gr. Petrum pro fidei confeſſione martyrium rite toleraſſe, id eſt, perſeveraſſe in finem, virtualiter ſolum revelata erit hæc veritas abſoluta, *Petrus ſalvus eſt:* quia in majore propoſitione conditionata, quæ ſola formaliter revelata eſt, non continetur completa ratio formalis iſtius concluſionis abſolutæ; quippe quæ non niſi in majore & minore præmiſſa ſimul ſumta continetur. Aliter tenendum eſt, ſi tum conditionata propoſitio, tum conditionis exiſtentia ſimul formaliter revelata ſit, uti hæ duæ præmiſſæ, *omnis homo ex Adamo conceptus in Adamo peccavit, ſed ego in Adamo conceptus ſum:* tunc enim etiam concluſio abſoluta, ergo *ego in Adamo peccavi*, ceu in prioribus formaliter tanquam in ratione ſua ſufficiente contenta, formaliter revelata eſt; ut in adnotatione priore modo dictum eſt.

98.

Fides divina elicita, ſeu *primitiva*, dicitur aſſenſus cuique veritati præſtitus, cujus motivum immediatum & proximum adæquatum eſt ſola locutio DEI immediata & auctoritas DEI loquentis immediate, qua talem veritatem DEUS immediate eſt locutus. *Fides divina imperata*, ſeu *derivativa*, vocatur aſſenſus veritati præſtitus, quam DEUS formaliter non eſt locutus, qui tamen ab alio aſſenſu fidei divinæ primitivæ, per ſe ſufficienter efficaci, ad exiſtendum determinatur. Eſt autem *fides divi-*

na elicita ſufficienter efficax non niſi illa, quæ ſua virtute determinante voluntatem ſe extendit ad firmiter credenda omnia, ad quæ perſuadenda ſe in præſens extendit motivum auctoritatis divinæ & locutionis divinæ.

99.

Fides divina elicita ſatis efficax de veritatibus a DEO formaliter revelatis determinat etiam fidem imperatam divinam de veritatibus virtualiter revelatis cum eiſdem connexis; ſi cum illis actu connexæ eſſe ſatis certo cognoſcuntur. Cum enim per hypotheſin ita connexæ eſſe poſteriores cum prioribus certo cognoſcantur, ut priores veræ eſſe ſine poſterioribus non poſſint: idcirco motivum auctoritatis & locutionis divinæ, quod movet ad fidem divinam elicitam de prioribus ceu formaliter revelatis, ſuppoſita certitudine connexionis illius actualis etiam virtute ſua motiva ſe extendit ad perſuadendam fidem poſteriorum. Quodſi ergo fides divina elicita, qua credimus priora formaliter revelata, ſit ſatis efficax; eadem determinabit fidem divinam imperatam poſteriorem.

100.

Veritas virtualiter revelata, ſeu concluſio, quæ ex veritate formaliter revelata, & ex alia moraliter ſaltem certa, ceu ex præmiſſis duabus, certo deducitur, *concluſio theologica* vocatur; cujus oppoſitum *error theologicus* appellatur.

101.

Promiſſio Chriſti Eccleſiæ ſuæ rectoribus facta de aſſiſtentia Spiritus Sancti in omni veritate docenda latæ

latæ eſt interpretationis; id eſt, licet Chriſtus Joan. XIV. 26. formaliter ſolum promittat, mittendum a Patre Spiritum ſanctum, qui *docturus illos eſſet omnia, & ſuggeſturus illis omnia, quæcunque ipſe dixiſſet;* nihilominus quia idem Joan. XVI. 13. promittit, *cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, non reſtringenda illa promiſſio eſt ad veritates formaliter revelatas, ſed intelligenda de omni veritate, in qua ſi erraret Eccleſia, a ſuis legitimis rectoribus in errorem adducta, ipſa fides de veritatibus formaliter revelatis in periculum adduceretur, & Eccleſiæ ipſius auctoritas ſimpliciter detrimentum pateretur. Cum enim univerſe gratiæ terrenorum Principum illæ ſint inprimis latæ interpretationis, quæ communis boni cauſſæ conceduntur; eo quod bonus quisque Princeps communi bono quam optime & efficaciſſime conſulere voluiſſe talis gratiæ conceſſione cenſendus ſit: quanto magis id de Chriſto optimo, imo infinite bono, Eccleſiæ ſuæ Principe pro certo ſupponendum eſt.

102.

Eccleſiæ ſolennes definitiones, ſecundum legem fundamentalem rite ab ejus rectoribus conceptæ reguntur a Spiritu Sancto, ac proinde auctoritate divina pollent (17.), *& erroris omnis expertes ſunt, non ſolum, cum illi veritates a DEO formaliter revelatas proponunt; ſed etiam in declarandis veritatibus virtualiter revelatis, ſeu certo connexis cum prioribus.* Qui enim nexum iſtum iſtarum cum illis moraliter certo cognoſcerent, ſi Eccleſia in his declarandis erraret, facile in periculum adducerentur denegandæ fidei etiam veritatibus formaliter revelatis, & contemnendæ auctoritatis Eccleſiæ in eisdem proponentis. Atqui in tali caſu promiſſio Chri-

ſti

ſti Eccleſiæ ſuæ facta de aſſiſtentia Spiritus Sancti latæ eſt interpretationis, & proinde ad hunc quoque caſum extendenda (præc.). Ergo etiam in his definitionibus Spiritus Sanctus dirigit rectores Eccleſiæ &c. &c., ac proinde hæc divinam auctoritatem habent (17.) &c. &c.

* Sic ſi Eccleſia erraret definiendo, *Chriſtum non eſſe capacem affectuum humanorum*, cujus propoſitionis contradictoria eſt veritas per ſe connexa cum hac veritate formaliter revelata, *Chriſtus eſt verus homo*, ſuſpecta fieret auctoritas divina Eccleſiæ etiam in hac poſteriore definienda, & ipſa fides divina hujus veritatis fidei vacillaret.

103.

Eccleſiæ tamen infallibilitas in docendis recte veritatibus virtualiter revelatis ipſa non eſt formaliter revelata, ſed ſolum certa ſimpliciter. Cum enim Chriſtus Joan. XIV. 26. promiſſam S. Spiritus directionem expreſſe reſtringat ad ea, quæ ipſe dixiſſet, id eſt, formaliter revelaſſet Apoſtolis, nec Joan. XVI. iſtam reſtrictionem expreſſe tollat; per ſe etiam in poſteriore loco hoc ſupponi debet: cum utique non omnem veritatem univerſe, ſed ad fidem ſolum ſpectantem docturus Eccleſiam Spiritus Sanctus promittatur. Non itaque formaliter revelata eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti in declarandis veritatibus ſolum virtualiter revelatis; attamen ſimpliciter certa eſt ex dictis §. præc.

104.

Articulus fidei divinæ dicitur veritas formaliter a DEO revelata, & ab Eccleſia pro tali declarata; qui vulgo etiam *dogma catholicum* appellatur. Synopſis ex articulis fidei præcipuis conflata in ordine

ad publicam fidei orthodoxæ profeſſionem *Symbolum fidei* dicitur.

105.

I. *Eccleſia definiendo & declarando veritates fidei formaliter revelatas non facit nova dogmata fidei, ſed ſolum a Chriſto jam propoſita promulgat, & declarat.* Non enim DEUS immediate per Eccleſiæ rectores loquitur, ſed mediate ſolum, dirigendo eosdem ſine nova revelatione (96. II. III.).

II. *Eccleſiæ in ſuis rectoribus, ex lege fundamentali a Chriſto conſtituta munere ſuo fungentibus, poteſtas ſuppetit Symbolum conficiendi & proponendi fidelibus; quin etiam addendi eidem jam ſemel confecto novos articulos publice profitendos, ſi neceſſitas ſuadeat.* Eccleſiæ enim rectoribus, & ejus Capiti inprimis ac Chriſti Vicario & Succeſſori S. Petri & munus & poteſtas incumbit paſcendi & docendi fideles, quid fide divina explicatius præ ceteris credere, & publice profiteri debeant. Quodſi vero graſſans novus aliquis error novam ab Eccleſia in defendendis ab eo fidelibus induſtriam requirat, ipſa communis & publica utilitas juxta atque periculum additiones id genus ad publicum ſymbolum requirunt; quin uſu priore poteſtatis ejusdem poteſtas ipſa deperdita fuerit, aut finita.

* Sic reipſa Symbolo Apoſtolorum breviſſimo multa addidere Nicæni primi generalis Concilii Patres in novo, ampliore a ſe edito *Symbolo Nicæno*; & huic rurſus varia de deſcenſu Chriſti ad inferos, & de divinitate S. Spiritus addidere Patres Concilii Conſtantinopolitani primi item generalis.

106.

106.

Hæreſis eſt judicium privatum de veritate fidei divinæ formaliter revelata contrarium communi Eccleſiæ univerſalis judicio, ſeu ſolenniter per ejus rectores legitime illam veritatem fidei declarantes lato, ſeu alias notorio; ex. gr. contrarium interpretationi S. Scripturæ apud omnes Eccleſiæ doctores receptæ. Vide infra §. 176. *Hæreſi proximum* dicitur privatum judicium, quod adverſatur valde communi judicio doctorum Eccleſiæ catholicæ, oppoſitum pro dogmate formaliter revelato habentium, ita tamen, ut adhuc ſaltem pauci aliqui graves & cetera probati doctores ſuperſint, qui illud pro dogmate formaliter revelato habendum negent. *Error in fide* eſt judicium privatum contrarium concluſioni theologicæ communiter receptæ. *Schismatica propoſitio* eſt, quæ idonea eſt ad *ſchiſma* concitandum, ſeu ad concitandos fideles, ut debitam Eccleſiæ rectoribus, atque inprimis ſummo ejus capiti, obedientiam detrectent. *Propoſitio impia* eſt, quæ cultui debito perſonæ ſacræ, cui pietas debetur, adverſatur. *Propoſitio ſcandalum generare apta* eſt, quæ aliis occaſio ruinæ ſpiritualis eſſe poteſt. *Propoſitio pias aures offendens* eſt, quæ in argumento religionis quid indecens enunciat. *Male ſonans* dicitur, quæ vocibus ſic contra receptum uſum utitur, ut ſenſum præpoſterum per ſe ingerat; etſi bonus intendatur ab eo, qui illam concepit. *Propoſitio temeraria* vocatur, qua ſine gravi fundamento communi doctorum Theologorum ſententiæ in quæſtione theologica contradicitur.

AR-

ARTICULUS II.

DE AUCTORITATE ECCLESIÆ IN DECLARANDA ORTHODOXIA VEL HETERODOXIA TEXTUUM.

107.

Senſus literalis cujusque ſimplicis *propoſitionis* (64.) *alius eſt*, qui per verba ſolam talem propoſitionem componentia, & ſeparata a reliquo contextu, exprimitur, & recte *commaticus* (74. not.) appellari poteſt; alius, quem eadem verba propoſitionis ejusdem exprimunt, prout eorum vis ſignificativa determinatur per nexum cum reliquo contextu, antecedente, & conſequente; & hic vocatur *ſenſus propoſitionis in ſuo contextu*. *Orthodoxia textus* itaque eſt veritas & conformitas cum fidei dogmatis ſenſus literalis propoſitionum, ſive unius, ſive plurium, in ſuo contextu: *heterodoxia* ex adverſo eſt oppoſitio ſeu difformitas ſenſus prædicti literalis cum dogmatis fidei divinæ, ſeu *formalis*, ſeu *virtualis;* id eſt, ſeu cum dogmatis formaliter, ſeu virtualiter revelatis (97.).

108.

I. *Orthodoxia & heterodoxia textus non eſt factum*, *ſed qualitas facti*; ſicut nempe honeſtas & inhoneſtas alterius cujusque facti moralis.

II. *Factum tamen ſupponit*, nempe textum conſcriptum: *etſi concipi etiam poſſit antecedenter ad idem factum*, *ſeu in facto conſiderato adhuc ut mere poſſibili:* ſicuti honeſtas, & inhoneſtas antecedenter

ad

ad ipſum factum ſpectari & judicari poteſt in iſto ut mere adhuc poſſibili.

* Vulgo qualitatem iſtam facti vocant *factum dogmaticum* obſcura & ambigua expreſſione. Definiunt idem, quod ſit factum connexum cum dogmate ſic, ut, ſi Eccleſia erraret in declarando tali facto, erraret in ipſo dogmate. At enim hæc potius de facto Eccleſiæ declarantis qualitatem facti, de quo agitur, verum eſt, quam de facto cujus qualitas ſolum declaranda eſt. Nempe factum Eccleſiæ errantis in declaratione heterodoxiæ textus connecteretur cum errore in ipſo dogmate per textum orthodoxe propoſito. Verum carere omnino poſſumus obſcura iſta notione facti dogmatici.

109.

Quæſtio facti eſt, ſi quæritur de exiſtentia alicujus actionis, vel effectus. *Quæſtio juris* vulgo dicitur, ſi quæritur de qualitate ſeu rectitudine morali, vel rectitudine etiam phyſica actionis, aut de gradu rectitudinis alterutrius. Porro tamen alia eſt *quæſtio juris fidei*, *ſeu divinitus revelati*, alia *juris non revelati;* item *formaliter*, & *virtualiter revelati.*

110.

I. *Si quæritur de Orthodoxia*, *vel heterodoxia textus*, *quæſtio non eſt facti*, *ſed juris*, *id eſt*, *de rectitudine phyſica*, *ſeu conformitate cum veritate a DEO revelata:* perinde nimirum ac ſi idem quæritur de ſimplice propoſitione.

II. *Quæſtiones meri facti*, ex. gr. an Janſenius hunc textum ſcripſerit; an intellexerit; quid ſcriberet;

ret; id eſt, an Janſenii ſenſus perſonalis, quem is mente conceperat, dum hunc textum ſcriberet, cum ſenſu literali actu per contextum expreſſo idem fuerit (64.), *ſeu veræ ſint*, *ſeu falſæ*, *nihil mutant in fide orthodoxa fidelium*, *nec periculum erroris creant*.

III. *In quæſtionibus meri facti humani per ſe nulla Eccleſiæ a Chriſto promiſſa eſt infallibilitas.* Per ſe enim ſolum promiſſa illa eſt in docendo*, quod Chriſtus docuiſſet, & quæ cum his ita connexa ſunt, ut, ſi in iis erraret, vel fidei dogmatum a Chriſto traditorum, vel auctoritati Eccleſiæ in eisdem declarandis, præjudicium, detrimentum, vel periculum afferretur (101. 102.). Atque neutri præjudicium affertur; etſi Eccleſiæ rectores errent in factis meris judicandis, an exiſtant, nec ne (hic II.).

* Dixi, *in quæſtionibus meri facti humani.* Nam infra videbimus, aliud tenendum eſſe in diſcernendis factis divinis, qualia ſunt miracula.

III.

Judicium tamen de orthodoxia vel heterodoxia textus ſupponit judicium de ſenſu literali propoſitionum in contextu; quod dependet ab intellectione vis ſignificativæ & grammatices verborum in eo idiomate, *quo conſcriptus eſt textus.* Sic enim ratiocinari oportet. *Textus*, *qui exprimit hoc dogma* (ex. gr. *hominem non eſſe liberum libertate indifferentiæ*) *difformis eſt veritati divinitus revelatæ: ſed hic textus Janſenii exprimit hoc dogma: ergo difformis eſt veritati divinitus revelatæ*, id eſt, heterodoxus &c. (106.). In quo ratiocinio minor eſt judicium de ſenſu literali contextus, dependens ab intellectione idiomatis & grammatices. Ergo &c.

* In-

* Interim rurſus probe notes velim, judicium de ſenſu literali contextus non eſſe judicium de facto, ſed de qualitate ſignificativæ virtutis verborum & conſtructionis certo exiſtentis & ab auctore textus adhibitæ. *Neque dicas*: quæſtionem eſſe, utrum auctor expreſſerit hoc dogma determinatum: atqui hanc eſſe quæſtionem facti. *Nam factum* præciſe conſiſtit in eo, quod auctor uſus fuerit his vocibus & contextu ad ſignificandam mentem ſuam, vel certum dogma; *qualitas* autem *facti* eſt in eo, quod vocibus & contextui adhibito inſit vis ſignificativa hujus dogmatis determinati, quam ineſſe judicat Eccleſia. Enimvero iſta animadvertere multum juvat ad præciſiorem modum loquendi in decidenda iſta quæſtione: quippe quod ſic ſtatus, ut vocant, quæſtionis, diſtinctius appareat, & evidentia rationum decidentium clarior evadat. Unice enim quæritur, utrum Eccleſia declarans orthodoxiam & heterodoxiam textuum erroris expers ſit, nec ne, primo quidem in cognoſcendo vero ſenſu literali propoſitionum in contextu ſtantium, tum vero eo ipſo in declaranda orthodoxia, vel heterodoxia earundem.

112.

Eccleſia infallibilis eſt in judicio de orthodoxia, vel heterodoxia, contextuum æque ac ſimplicium propoſitionum, & in utroque regitur ab aſſiſtente Spiritu Sancto. Promiſſio enim iſtius aſſiſtentiæ, a Chriſto facta, eſt latæ interpretationis (101.), ſeque extendit ad ea omnia, in quibus ſi erraret Eccleſiæ judicium, aut fides de dogmatis formaliter revelatis, aut Eccleſiæ auctoritas in his declarandis periculum & præjudicium pateretur. Atqui utraque pateretur periculum, ſi Eccleſia textum revera heterodoxum declararet orthodoxum, aut revera orthodoxum diceret eſſe heterodoxum: ſiquidem fideles illum pro peritia ſufficiente idiomatis rectius intelligentes vel credendo Eccleſiæ declaranti incide-

rent in errorem fidei, vel non credendo, auctoritatem Eccleſiæ æque facile in declaranda orthodoxia, vel heterodoxia propoſitionum ſimplicium, extra contextum poſitarum, eodem obtentu contemnere poſſent. Ergo &c. *Item*: Eccleſia a Sancto Spiritu dirigitur vi promiſſi divini in declaranda orthodoxia, vel heterodoxia, propoſitionum ſimplicium. Ergo etiam dirigitur ab eodem in declaranda orthodoxia, vel heterodoxia, integrorum textuum. Etenim ad judicium de orthodoxia propoſitionum ſimplicium, vel heterodoxia, idem judicium prævium de ſenſu illarum literali & ſignificatione grammatica requiritur, quod requiritur de ſenſu literali contextus ad hujus orthodoxiam, vel heterodoxiam, declarandam (110.). Ergo ſi iſtud non obſtat infallibilitati Eccleſiæ in judicio dogmatico de orthodoxia, vel heterodoxia, propoſitionum ſimplicium; nec obſtare eidem poteſt in declaranda eadem orthodoxia, vel heterodoxia, totius contextus.

* Enimvero Eccleſia, ipſa maxime authentica interpres ſuæ poteſtatis a Chriſto acceptæ, ſemper profeſſa eſt inde a primis ſeculis in condemnandis, tanquam heterodoxis, hæreſiarcharum & hæreticorum ſcriptis & contextibus integris. Sic in Concilio Epheſino I. œcumenico Act. I. Patres conclamarunt: *omnes Neſtorii Epiſtolam & dogmata anathematizamus: impiam Neſtorii fidem anathematizamus: quiſcunque hunc non anathematizat, anathema ſit.* Profecto non exceptas de contextu propoſitiones, ſed hæreſin in contextu propoſitam damnarunt. Clarius adhuc exemplum ſuppetit in Concilio V. œcumenico ſeu Conſtantinopolitano II.; in quo non erat quæſtio de propoſitionibus hæreticis ſeparatis, ſenſum Neſtorii hæreticum exprimentibus, ſed *de tribus capitulis*, Theodori nempe Mopſueſteni, Theodoreti, & Ibæ ſcriptis; quæ, in

toto

toto utique contextu, ceu Neſtoriana hæreſi infecta, damnabantur.

** Mirum profecto, Janſeniſtas tantum tribuere Eccleſiæ, orthodoxiam doctrinæ S. Auguſtini, contra Pelagianos & Semipelagianos divinæ gratiæ neceſſitatem & efficaciam defendentis, approbanti, ut illam ab Alexandro VIII. deinceps damnatam propoſitionem defendere ſubinde etiam hodiedum non dubitent: *ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ullam Pontificis bullam:* & e contra Eccleſiæ omnem abjudicare certam auctoritatem in declaranda heterodoxia textuum.

113.

Propoſitio tamen hæc, contextus iſtius libri (ex. gr. Auguſtinus a Janſenio Ypreníi inſcripti) non eſt orthodoxus, *vel*, propoſitio hæc, prout ſtat in contextu iſtius libri, hæretica eſt, *non eſt de fide divina*, *ſed ſolum fide Eccleſiaſtica*, id eſt, ob auctoritatem Eccleſiæ, in ea definienda infallibilis, & certo a Spiritu Sancto directæ (præc.). Nuſpiam enim illa propoſitio formaliter revelata eſt.

114.

Ipſa infallibilitas Eccleſiæ in Orthodoxia & heterodoxia textuum definienda non eſt quidem formaliter revelata; eſt tamen moraliter certa. Solum enim formaliter Chriſtus promiſit certam S. Spiritus directionem in iis docendis, quæ ipſe docuerat; quæ quidem docere poteſt Eccleſia independenter a textibus ſcriptorum. Interim dicta §§. 101. & 111. ſaltem certitudinem moralem ejuſdem infallibilitatis probant.

* *Dices* vero: hoc ipſo, quod ſufficiat, ab Eccleſia ſine erroris periculo fidei dogmata doceri, nulla eſt neceſſitas iſtius infallibilitatis in declaranda orthodoxia vel heterodoxia textuum. Ergo ſine fundamento Chriſti promiſſio ad hanc interpretatione extenditur; ac proin hoc ipſo iſta extenſio incerta eſt. *Reſp.* Cum perverſa docentes & veritatem formaliter revelatam docendo pervertunt, & perverſionem iſtam ſub ſpecie falſa orthodoxi textus occultare & defendere volunt; profecto neceſſarium ad fidem fidelium & ad ipſam auctoritatem Eccleſiæ in dogmatis fidei defendendam eſt, ut Eccleſia etiam textus heterodoxiam condemnet, & in hac condemnatione erroris ſit expers. Ergo per dicta §. 101. recte ac certo cum fundamento Chriſti promiſſio ad eam extenditur. Vide §. 111. not. 1.

115.

I. *Qui contra aſſertionem ſolennem Eccleſiæ negat librum* ex. gr. *Janſenii eſſe hæreticum; interim tamen ſincere credit, ac profitetur, aſſerta, quæ Eccleſia damnat ut hæretica in eo libro* (ex. gr. Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis eſſe mortuum) *reipſa, eſſe hæretica; is revera ipſe hæreticus non eſt; ſed ſolum errat certo in eo, quod Eccleſiæ in definienda heterodoxia textuum auctoritatem certo divinam non agnoſcat, nec revereatur.*

II. *Qui vero nec circa propoſitiones ab Eccleſia pro hæreticis in aliquo libro* (ex. gr. Janſenii) *damnatas mentem ſuam declarat, & tamen ſimpliciter negat, textum talis libri eſſe hæreticum vel eas propoſitiones continere; ſi cetera præſertim ſat doctus ſit, recte hæretice circa dictas propoſitiones ſentire præſumitur.* Cum enim certum ſit, Eccleſiam in decla-

declaranda heterodoxia textus errare non poſſe (præc.); certum quoque eſt, propoſitiones illas ab Eccleſia pro hæreticis in contextu aſſertas reipſa in contextu damnato contineri. Cum ergo ſat doctus quisque vulgo poſt attentam ac repetitam lectionem textum dogmaticum in argumento religionis non per ſe difficillimo vulgo intelligere ſoleat; id vero præſumatur, quod in eodem caſu ut plurimum fieri ſolet: recte ſenſum contextus vere hæreticum intelligere, & tamen pro vero habere, id eſt, hæreſi ab Eccleſia damnatæ, ceu veritati, adſtipulari, ac proinde hæreticus eſſe, talis præſumitur.

III. *Recte Pelagius II. Papa Epiſt. 2. ad Epiſcopos Iſtriæ de tribus Capitulis in Concilio V. Oecumenico damnatis ſcripſit, illa eſſe extra fidem: quin pateretur propterea, ut illorum damnatio legitima in dubium vocaretur.* Etenim Patres omnes Conſtantinopolitani æque ac Epiſcopi Iſtriæ fatebantur, dogmata, quæ ceu in illis Capitulis contenta damnabat Eccleſia, Neſtoriana videlicet, revera eſſe hæretica; & contentio ſolum erat, an illa dogmata continerentur in illis tribus capitulis. Atqui ſub iſta hypotheſi mota utrinque quæſtio tota erat extra fidem divinam (112.); quin tamen licitum ſit dubitare, an ſententia Eccleſiæ damnans heterodoxiam textus vera ſit (cit. 113.)*.

* Aliter id ipſum expreſſit S. Gregorius M. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiberniæ ſcribens, *nihil in quinta Synodo eſſe geſtum de fide, ſed ſolum de perſonis.* Nec vero dubitabant Epiſcopi Iſtriæ & Hiberniæ de Eccleſiæ infallibilitate in id genus definitione. Eo ipſo enim, quod putarant ea capitula jam infallibili ſententia Concilii Chalcedonenſis fuiſſe pro orthodoxis declarata, exiſtimabant, Vigilium Papam non niſi vi & dolis Græcorum coactum ſubſcripſiſſe

in Concilio Oecumenico V. eorundem condemnationi. At enim fallebantur in eo, quod crederent ea capitula in Chalcedonenſi approbata fuiſſe: non enim ſcripta, ſed perſonæ ſolum ex ſuis ſcriptis de hæreſi Neſtoriana accuſatæ, poſt damnatam a ſe hæreſin & anathema ipſi Neſtorio dictum, in Ecclesiæ communionem receptæ, & ab hæreſi abſolutæ ſunt. Certe Epiſtolam Ibæ nemo præter Joannem Antiochenum judicavit ex Chalcedonenſibus Patribus catholicam. Legati Apoſtolici Actione Xma quidem relecta Ibæ ipſius Epiſtola hunc judicarunt catholicum; non tamen ex epiſtola hoc de eo tulere judicium; ſed quia ſubſcripſit Epiſtolæ definitivæ S. Leonis M. & ſacri Concilii definitioni; ut ſcribit Vigilius in ſuo Conſtituto ad Imperatorem miſſo. Denique teſte Pelagio II. in Epiſt. ad Epiſc. Iſtriæ, a S. Leone M. ſolum ſex primæ actiones Chalcedonenſis Concilii approbatæ ſunt. Ergo in decima Actione, quidquid actum a Legatis Papæ & ceteris Patribus, ad definitionem ſolennem & ultimatam non attingit.

** Clemens IX ad pacem Eccleſiæ admiſit quatuor Galliæ Epiſcopos, qui in damnandis quinque propoſitionibus Janſenii diſtinxere inter quæſtionem juris, & facti, & illi quidem obſequium mentis, huic vero ſolum religioſum ſilentium deberi poſt Eccleſiæ judicium tenebant. At enim Papa exiſtimabat ſincere damnationi propoſitionum ſubſcripſiſſe eo modo, quo damnatæ fuerant, nempe relate ad contextum Janſenii, nec aliud ſuſpicari prudenter poterat; ut Tournely accurate probat.

ARTI-

ARTICULUS III.

DE AUCTORITATE ECCLESIÆ ERRORIS EXPERTE IN PROPRIIS PRÆCEPTIS MORUM.

116.

Alia ſunt leges ſeu *præcepta fidei ab Eccleſia conſtituta*, quibus nimirum aliquid declaratur eſſe objectum fidei credendum, ſeu pro vero ſimpliciter habendum, tanquam formaliter, aut virtualiter revelatum a DEO; alia *præcepta morum*, quibus jubetur, vel prohibetur quædam actio moralis. Porro iſta vel talia ſunt, ut Eccleſia ſolum docendo & promulgando tanquam divinitus jam accepta & revelata, ea proponat, & hæc ſunt leges ſeu *præcepta morum divina ab Eccleſia nobis propoſita;* vel non ſunt jam a DEO conſtituta, ſed ſola lege Eccleſiæ, & *præcepta morum mere Eccleſiaſtica* vocantur.

117.

Error in præceptis morum eſt, ſiquis præcipiat, vel ipſe agat quod moraliter malum theologice eſt; eſtque aut *formalis error*, ſi quis ſciens eſſe ita malum, tamen agat, vel præcipiat; aut ſolum *materialis*, ſi inſcius, eſſe malum, aut etiam bonum moraliter theologice eſſe exiſtimans, malum reipſa præcipiat, vel agat.

118.

Eccleſia ſuo ſolenni judicio errare non poteſt in proponendis præceptis morum divinis, & a DEO revelatis. Sunt enim objectum fidei divinæ: ergo in eis declarandis errare Eccleſia non poteſt (95.96.1.).

119.

Eccleſia ſolenni morum præcepto ad univerſos fideles directo, etiam ſi mere Eccleſiaſticum ſit, errare non poteſt formaliter. Neque enim tale præceptum ſtatui poteſt, niſi auctoritatem poteſtatemque ſuam interponente ſummo Chriſti Vicario & Succeſſore S. Petri in Primatu Eccleſiæ (Demonſtr. Cath. 277.). Jam vero *vel* tali præcepto obedirent fideles ſcientes, malum eſſe; *vel* obedirent inſcii eſſe malum; vel non obedirent, ſeu aliqui, ſeu omnes. *In primo caſu* & fundamentum, & Eccleſia propter fundamenti lapſum, rueret ſic, ut adverſus eam portæ inferi prævalerent. *In caſu altero*, juxta *atque in tertio*, ſtaret quidem Eccleſia ſubdita ſummo rectori, immunis ab errore formali, vel etiam materiali; ſed non ſuo fundamento ſuffulta (116.). Atqui omnia iſta promiſſo Chriſti Matth. XVI. 16. adverſantur; quo Eccleſiæ promittitur fundamentum immobile, & ipſius immobilitas virtute fundamenti ſemper perduratura.

120.

Eccleſia ſolenni morum præcepto ad univerſos fideles directo nec materialiter quidem errare poteſt. Promiſſio enim Chriſti, Matth. XVI. promittentis univerſe, Eccleſiam ſuam ſuo fundamento ſemper immobiliter inſtituram eſſe vi ſuæ ædificationis, late interpretanda eſt (101.), ſeque extendit certo ad ea omnia, in quibus ſi Eccleſia ſolennibus ſuis decretis errare poſſit, auctoritas Eccleſiæ in periculum contemtus adduceretur; item ſe extendere cenſenda eſt non tantum ad errorem (ſeu lapſum ædificii) Eccleſiæ formalem, ſed ad omnem errorem (ſeu lapſum) ſimpliciter. Ergo &c. &c.

121.

121.

I. *Eccleſiæ immunitas ab errore formali in præceptis morum formaliter revelata eſt.* Omnis enim formalis lapſus fundamenti qua talis, (id eſt, quo vere cum ſalutis morali pernicie portæ inferi ſeu contra fundamentum, ſeu ſimul contra Eccleſiæ ædificium, eſſent prævalituræ) explicite promittitur affuturus in perpetuum ab Eccleſia Matth. XVI. 16.

II. *Eccleſiæ vero immunitas ab errore mere materiali in præceptis morum mere Eccleſiaſticis non quidem formaliter revelata, attamen moraliter certa eſt* (119.).

122.

III. *Eccleſia errare non poteſt etiam materialiter in inſtitutione ac præcepto cultus religioſi cujuscunque;* quo coli juberet vel aliquod objectum cultu religioſo indignum, vel cultu moraliter theologice inhoneſto (119.).

123.

IV. *Eadem non poteſt feſtum diem pro colendo aliquo objecto materialiter malo inſtituere* (cit.). *Unde Sancta certo fuit Nativitas B. Virginis, & S. Joannis Baptiſtæ:* qu a utramque feſtæ diei inſtitutione religioſe coli generali morum præcepto jubet Eccleſia. *Idem ſequitur de immaculata prima animæ B. Virginis conceptione;* cum modo conſtet, ejus determinate colendæ cauſſa feſtum generale ab Eccleſia inſtitutum eſſe. Sed de hoc atque aliis ſimilibus argumentis uberius proprio cujusque loco dicemus, iſthic quidem generale principium præſtabiliviſſe contenti.

ARTI-

ARTICULUS IV.

DE ECCLESIAE CHRISTI INDEFECTIBILITATE, ET INFALLIBILITATE PASSIVA.

124.

Catholici Doctores Theologi recte diſtinguunt *duplicem* in Chriſti Eccleſia *infallibilitatem*, nimirum *activam;* quæ eſt determinatio perpetua rectorum Eccleſiæ Chriſti, in nomine Chriſti & ſecundum legem fundamentalem ab eo ſtatutam publice docentium, ad docendam meriſſimam veritatem in quovis argumento fidei, orta ex certa directione Spiritus Sancti, a Chriſto promiſſa: & *paſſivam;* quæ eſt determinatio perpetua ipſius ſocietatis ſubditorum Chriſtianorum fidelium ad hoc, ut ſemper aliqui ſaltem iſtorum, quantolibet numero, fideli ac publico aſſenſu adſtipulentur, & obediant doctrinæ ac oraculis rectorum Eccleſiæ nomine Chriſti docentium, orta ex efficaci diſpoſitione providentiæ divinæ, itidem a Chriſto Eccleſiæ ſuæ promiſſa.

125.

Datur in Eccleſia Chriſti rectoribus, ſecundum legem Chriſti fundamentalem Eccleſiam regentibus, perpetua infallibilitas activa in docenda univerſa religione a Chriſto tradita. Patet ex dictis §§. 95. 96. 102.

126.

Datur etiam in Eccleſia Chriſti ſubdita rectoribus ab eodem conſtitutis infallibilitas paſſiva §. 123. definita. Duo enim apertiſſime in lege fundamentali

tali ipſamet, quæ Matth. XVI. 16. habetur, Chriſtus in perpetuum promiſit Eccleſiæ ſuæ; primo in Petro, ejusque ſucceſſoribus, perpetuum immobile fundamentum; id eſt, firmum principium conſtitutionis Eccleſiæ ſuæ ſemper uniformis, ac talis, qualem ipſe in principio eandem conſtitueret; deinde firmitatem in perpetuum immobilem ipſius ædificii, id eſt, Eccleſiæ ſemel a ſe conſtitutæ ſuper eo fundamento, ita, ut contra illam nunquam prævaliturae ita ſint inferorum portæ, ut fundamentalem ejus conſtitutionem evertant. Atqui ad implendam hanc promiſſionem neceſſe eſt, non ſolum, ut rectores ſubordinati ſummo rectori & capiti, ſeu ſucceſſori S. Petri, ſaltem aliqui, quovis tempore in docenda religione Chriſti ſemper legi fundamentali inſiſtant, ac proin fundamento Eccleſiæ communi, nimirum Capiti ſe conforment, ejusque auctoritate ſuperiore, ceu principio firmitatis ſuæ in recta fide, nitantur, eidemque ex officio docenti obediant; verum etiam, ut ex meris Eccleſiæ ſubditis meris item quovis tempore aliqui, quantolibet numero, ſint, qui eisdem rectoribus cum capite ſuo in docendo conſentientibus & ipſi rectæ fidei ab eisdem traditæ publica profeſſione aſſentiantur, atque obediant. Secus profecto jam non ſuper fundamento ſuo ædificata ſemper eadem viſibilis Eccleſia Chriſti conſtaret; quippe cujus ædificium omne vi primæ inſtitutionis divinæ a Chriſto factæ ex S. Petro ceu capite & fundamento communi (Matth. XVI.) ex Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis, ceu columnis & fundamentis particularibus ac proximis (ad Epheſ. II. 20. *cives eſtis ſanctorum, & domeſtici DEI, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*) ac denique ex ipſis civibus ſeu membris ſubditis fidelibus coagmentatum eſt. Ut ergo totum ſibi conſtet, & fundamentum commune,

&

& columnæ particulares huic innixi, & tota domus his immediate, & illi mediate inædificata, contra inferorum aſſultus omnes immobilis & immutata in omne tempus conſtare debet.

127.

I. *Semper itaque aliquis Succeſſor S. Petri, ceu caput verum Eccleſiæ, moraliter ſaltem exiſtere in Eccleſia debet; ſumendo iſtam continuitatem moraliter, & eatenus; quatenus ad conſervandam reliqui ſpiritualis ædificii immobilem firmitatem illius continuitate abſolute eſt opus.* Nimirum cum Eccleſia ſit ædificium ſpirituale, in eo non ita, ut in materiali ædificio, phyſica continuitas præſentiæ fundamenti neceſſaria eſt; ſed ſufficit, ſi eo tempore ſemper actu præſens fundamentum exiſtat; cum eo ceu principio ſuæ unitatis & firmitatis ſecundum primævam Chriſti inſtitutionem ob ingruentes actuales inferorum aſſultus actu eſt opus. Unde nihil obſtat morali continuitati interregnum quodcunque etiam aliquorum annorum in morte Pontificum ſubinde interpoſitum: modo illis temporibus & certa fides & ſollers cura ac ſtudium in reliqua omni Eccleſia perduraverit de novo ſucceſſore S. Petri, ceu neceſſario fidei fundamento, iterum conſtituendo.

128.

II. *Eccleſia Chriſti ſubdita, tum quoad Epiſcopis Romano Pontifici ſubordinatis, tum prout meris ſubditis fidelibus conſtat, ignorare tunc ſaltem verum caput ſuum ac fundamentum commune & primarium non poteſt, nec in eo agnoſcendo errare; cum actu in controverſia quadam divinæ fidei exorta, ejusdem officio eidem opus eſt; & cum actu eidem pro vero capite*

pite

pite habito, & publice divina dogmata proponenti, adſtipulatur, & obedit. Secus enim talia capiti, & fallibili iſtius doctrinæ adhærendo, Eccleſiæ ædificium non fundamento ſuo inſiſtere, ac proin cadere poſſet.

III. *Unde exoriente quavis controverſia fidei aut jam ante certa ſemper eſſe Eccleſia debet de vero Capite ſuo, aut ſi hoc adhuc dubium eſt in ſingulari aliquo caſu; priusquam de controverſia fidei conſtitui certi aliquid poſſit, controverſia de vero capite finiri communi Epiſcoporum judicio debet.*

* Ex his patet, ſchiſma occidentalis Eccleſiæ ſub Urbano VI. a. 1378. exortum, & ultra annos triginta octo extenſum, nihil continuitati fundamenti Eccleſiæ obfuiſſe: tum quia aliquis ſemper erat verus Pontifex Romanus; tum quia eo tempore, quo ad hæreſin Wicleffi & Huſſii damnandam ejus certa cognitione opus erat, mox ea lis ante deciſam hæreſeos cauſſam in Concilio Conſtantienſi finita fuit.

129.

IV. *Verum caput Eccleſiæ, actu ſecundum Chriſti legem fundamentalem fungens communis fundamenti in docenda fide ſolenni officio, ſemper habebit ſecum ſentientes, ſibique ceu fundamento primario innixos tum Epiſcopos, tum numerum aliquem non contemnendum ſubditorum fidelium.* Eccleſiæ enim univerſum ædificium ex vi conſtitutionis ſuæ a Chriſto facto fundamento primario, id eſt, S. Petro, ſecundariis fundamentis ſeu columnis, id eſt, Apoſtolis, ſive eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, ac denique fidelibus ſubditis, non regentibus, ita conſtat; ut nec fundamentum extet, quin actu fundet reli-

quum

quum omne ædificium, nec reliquum ædificium eſſe ædificium Chriſti poſſit; quin actu communi fundamento a Chriſto in perpetuum conſtituto fundetur.

130.

Eccleſia Chriſti eſt indefectibilis, id eſt, *deficere ita non poteſt uſque ad mundi finem, ut vel omnino non amplius exiſtat, vel non ſit eadem ac prorſus talis ſecundum omnem ſubſtantiam, qualis a Chriſto eſt inſtituta.* Capite enim ceu fundamento communi moraliter perpetuo, Epiſcopis eidem ſubordinatis ceu rectoribus particularibus ac immediatis, ac denique membris reliquis fidelibus ſubditis, itemque univerſis his ſemper in doctrina univerſa a Chriſto tradita, ejusdemque uniformi publica profeſſione inter ſe plane conſentientibus; atque in hoc conſenſu uni fundamento innixis, unice hæc Chriſti Eccleſia conſtat; ceu ſubſtantia ſua, vi inſtitutionis divinæ. Atqui iſtorum nihil unquam deficere poteſt; non Caput (126.), non Epiſcopi & rectores ſubordinati (Dem. Cath. §. 128.), non membra ſubdita una cum ſuis immediatis rectoribus Epiſcopis capiti in univerſa fidei doctrina publice conſentia (125. 127.). Ergo &c. &c.

* Ceterum hoc non obſtante numerus & Epiſcoporum & ſubditorum fidelium, ac recte docentium & credentium, aliquando deficere ſic poteſt, ut terminus iſtius diminutionis definiri certo non poſſit. Imo futurum iſtud eſſe ſub finem mundi ſatis aperte illis verbis prædixit Chriſtus: *filius hominis cum venturus eſt, putas, inveniet fidem in Iſraël.*

ARTICULUS. V.

DE MEMBRIS ECCLESIAE CHRISTI.

131.

E*tſi natura omnis Societatis Eccleſiaſticæ Chriſtianæ lege & inſtitutione divina JESU Chriſti conſtituta ſit, ipſaque obligatio interna ſe adjungendi Eccleſiæ Chriſti mentis cujusque divina per lumen fidei illuſtratione imponatur* (Dem. Cath. 111. II. VIII.); *actualis tamen aſſociatio cujusque membri in hominibus quidem adultis ſit voluntaria profeſſione fidei de univerſa doctrina & inſtitutione ejusdem Eccleſiæ a Chriſto DEO homine facta, & baptismi receptione.* Eſt enim hominum ſocietas, ac proin viſibilis eſſe debet ita, ut ſocii diſcerni ſigno ſenſibili poſſint (Dem. Cath. 109.). Ergo ſola DEI lege interne cognita & accepta fieri aſſociatio cujusque membri non poteſt, ſed externa publica profeſſione agnitæ ejus obligationis, & quidem in ſpecie ſua determinatæ, eſt opus; ac proin etiam opus eſt externa profeſſione voluntatis hujus determinatæ adjungendi ſe ad talem in ſpecie integra Societatem, qualem revera Chriſtus inſtituit. Et cum hæc omnis ſocietas in ſua natura legalis ſit, non arbitrio cujusque relinquitur quovis ſigno hanc ſuam voluntatem profiteri, ſed ſigno legali, baptismo videlicet, ab ipſo inſtitutore divino præſcripto, opus eſt.

132.

Non omnes, nec ſoli prædeſtinati, actu ſunt membra Eccleſiæ Chriſti. Non omnes illi ſunt *actu* membra: quia multi ex eis nec lumen fidei omni vitæ tempore

jam a DEO habent acceptum, ſed adulta primum ætate accipiunt: *non ſoli*; tum quia ſic Eccleſia eſſet ſocietas inviſibilis, nec proinde regiminis capax; eo quod nec ſubditi, nec rectores diſcerni poſſent; tum quia a Chriſto nunc comparatur *agro* Matth. XIII., in quo creſcunt Zizania tritico commixta, poſt meſſem colligenda, & in ignem mittenda; item *ſagenæ* miſſæ in mare, & congreganti piſces bonos & malos &c.

133.

Non ſoli juſti, ſed etiam peccatores, Eccleſiæ membra fiunt, & manent; ſi recta fide colluſtrati baptiſmum receperint. Adeſt enim in ipſis ſignum legale conſociationis viſibilis a Chriſto præſcriptum, & interna obligatio ſe aſſociandi (130.). Ex adverſo ſi ſoli juſti fierent, & manerent actu membra; rurſus Eccleſia eſſet inviſibilis, & incapax regiminis; cum vera membra diſcerni non poſſent. *Præterea* Chriſtus jubet Matth. XVIII. 15. *peccatorem* ad *Eccleſiam*, id eſt, ejus rectores Apoſtolos, deferri, & *ſi* eam *non audierit*, tum primum ut extraneum, ſeu *ut ethnicum & publicanum* haberi. *Unde* contrarium hac in re totius Eccleſiæ ſenſum ſemper Donatiſtis & Pelagianis S. Auguſtinus objecit in tribus libris contra epiſtolam Petiliani & contra epiſt. Parmeniani.

134.

Hæretici publici & manifeſti, id eſt, qui publice profitentur propoſitionem hæreticam, ſeu ab Eccleſia pro hæreſi publice declaratam (105.), *non ſunt membra veræ Eccleſiæ Chriſti.* Ceſſat enim in illis voluntaria publica profeſſio non ſolum fidei a

Chri-

Chriſto circa illud dogma traditæ, ſed etiam regiminis & auctoritatis falli neſciæ ab eodem in ſua Eccleſia inſtitutæ. Ergo etiam aſſociatio viſibilis actualis (130.). *Unde* S. Paulus ad Tit. III. 10. *hæreticum hominem poſt unam & alteram correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, & deliquit; cum ſit proprio judicio condemnatus*, id eſt, cum proprio judicio conſenſerit, ut habeatur pro extraneo. Et S. Joannes I. II. 19. de eisdem ſub *Antichriſtorum* nomine ait: *ex nobis prodierunt; ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.*

* *Hæretici occulti*, ſi ſcientes errent, tenentur adhuc obligatione interna implendi officia membri veræ Eccleſiæ, & ſigno externo profeſſionis eam manifeſtant, ac proinde nexu vero & viſibili adſtringuntur Eccleſiæ.

135.

Schismatici non ſunt membra veræ Chriſti Eccleſiæ: quia deficiunt in profeſſione ſaltem externa, ſi non omnino etiam interna fide, regiminis a Chriſto inſtituti (130.), ac proinde etiam ipſius veræ fidei. Sunt enim ii, qui propoſitionem ſchismaticam publice profitentur (105.).

136.

Excommunicati ob veram contumaciam in recipienda correctione legitima Eccleſiæ, ſive rectorum ejusdem ceſſant eſſe membra Eccleſiæ veræ. Ipſo enim contumaciæ facto, quo ſcientes ſe volentesque exponunt id genus pœnæ, ceſſant a profeſſione externa tum voluntatis ſinceræ, quod velint eſſe membra veræ Eccleſiæ, tum ipſius fidei de divina auctoritate Eccleſiæ corripientis. Ergo per §. 130. &c. &c.

Unde tales ipſe Chriſtus Matth. XVIII. 17. jubet haberi *ſicut ethnicos & publicanos*, id eſt, ut a ſua Eccleſia extraneos.

ARTICULUS VI.

DE NOTIS SEU CHARACTERIBUS PROPRIIS VERÆ CHRISTI ECCLESIÆ.

137.

Notas *veræ Chriſti Eccleſiæ* appello, per quas, ceu rationes ſufficientes formales ſibi ſoli proprias, ab omni alia non vera Chriſti Eccleſia diſcerni certiſſime & ſine erroris periculo poſſit. Sunt vero aliæ *notæ neceſſariæ quidem, ſed non adæquatæ;* ſine quibus videlicet vera Chriſti Eccleſia eſſe quidem non poteſt, quæ tamen etiam non veræ Eccleſiæ Chriſti poſſunt eſſe communes: aliæ ſunt *notæ neceſſariæ ſimul & adæquatæ;* ſine quibus nec vera Chriſti Eccleſia eſſe poteſt, & quæ nulli non veræ Chriſti Eccleſiæ communes eſſe poſſunt.

138.

I. *Ex notis neceſſariis quidem, ſed non adæquatis, recte argumentum negativum ducitur:* hæc Eccleſia non habet hanc notam neceſſariam in vera Chriſti Eccleſia: ergo non eſt vera Chriſti Eccleſia: *non item poſitivum* ſic: hæc Eccleſia habet hanc notam: ergo eſt vera Chriſti Eccleſia.

II. *Ex notis vero neceſſariis ſimul & adæquatis recte argumentum poſitivum & negativum ducitur.*

III.

III. *Notæ*, ceu ſigna, *notiores debent eſſe*, ſeu prius, & aliunde perſpectæ, *quam ipſa vera Chriſti Eccleſia*, quam ſignificant, ſeu denotant.

139.

Unitas ſocialis eſt conſenſus membrorum ſocietatis cujuslibet tum circa finem iſtius, tum circa media, quibus conſectari illum oporteat, & jubeat. Hæc vel eſt *eſſentialis Societati;* ſi nempe rationem ſui ſufficientiſſimam ita in lege fundamentali propria Societatis habeat, ut non niſi eadem violata, aut ſubverſa, tolli a Societate queat; vel ſolum *accidentalis*, ſi nempe non ex lege fundamentali & natura conſtitutionis oriatur: ſed hic & nunc per accidens, ex. gr. ob concurrens commune ſingulorum emolumentum, membra in decernendo uſu mediorum ad communem finem conſentiant.

140.

I. *Unitas ergo Eccleſiæ, ſeu ſocietatis ſpiritualis viſibilis, eſt conſenſus membrorum ejus viſibilium circa media ſpiritualia ad eundem finem communem æternæ ſalutis conſequendum adhibenda.*

II. *Unitas vero talis Eccleſiæ, qualis eſt Eccleſia Chriſti*, nimirum quæ non voluntate humana & pacto hominum, ſed lege DEI Hominis conſtituta ſic eſt, ut ipſe Chriſtus & Societatis omnem naturam, & media univerſa ſua ipſius lege graviter obligante determinarit, quibus & ipſe velit, ut nos finem æternæ ſalutis propoſitum conſectemur, & nos conſequi reipſa eundem unice poſſimus, *non eſt niſi conſenſus omnium veræ Chriſti Eccleſiæ membrorum circa media æternæ ſalutis ab ipſo Chriſto lege præ-*

 ſcri-

ſcripta & propoſita, id eſt, circa univerſam doctrinam fidei ac totius religionis dogmata & leges ab eo traditas.

III. *Unitas Eccleſiæ Chriſti eſſentialis erit, ſi virtute ipſius legis fundamentalis a Chriſto conſtituta unitas modo dicta ſic fuerit conſtabilita, ut inter ejus vera membra diſſenſus in doctrina fidei & religionis leges locum non habeat, vel certe tolli e medio facillime poſſit. Contra unitas iſta ſolum erit accidentalis, ſi detur quidem aliquando, vel in aliquibus dogmatis, ſed non vi legis alicujus fundamentalis & ex ipſa conſtitutione naturali Eccleſiæ oriatur, ſed veluti per accidens ex fortuito in illis conſenſu animorum.*

140.

Unitas eſſentialis eſt nota neceſſaria veræ Chriſti Eccleſiæ; ſive: *Vera Chriſti Eccleſia ſuæ inſtitutionis virtute unitate fidei & totius religionis inſigniri debet.* Nam 1.) æque *moraliter neceſſarium* erat, ut Chriſtus in ipſa inſtitutione Eccleſiæ de remedio ſupernaturali conſervandæ unitatis circa regulas univerſas religionis, tum naturalis, tum ſupernaturalis a ſe traditas provideret; atque moraliter neceſſaria erat hominibus univerſe ſumtis ipſa divina revelatio naturalis religionis (Dem. Evang. §. 48.) Sine id genus enim remedio ſupernaturali moraliter æque impoſſibile erat, ut vulgus hominum etiam in Chriſtum DEUM hominem credentium vel per viam demonſtrationis, vel per viam auctoritatis mere humanæ, ſeu ſcripto, ſeu viva voce atteſtantis, ſeu per quodvis aliud criterium, per omnia deinceps conſecutura ſecula ſemper conſervaret univerſum doctrinæ religionis depoſitum, a Chriſto, ceu Magiſtro divino, ſemel acceptum. Itaque, niſi Chriſtus in ipſa inſtitutione fun-

fundamentali aliquo certo id genus remedio conſtituto, conſervando in perpetuum beneficio illi ſuo proſpexerit; totus magiſterii ſui divini fructus exiguus & in breve tempus concluſus fuerit, neceſſe eſt. 2.) Per ſe inveriſimile eſt, Chriſtum Dominum, qui tanta fecit ad revelandum nobis univerſum veræ religionis ſyſtema, nihil plane egiſſe pro ejusdem uniformi notitia ſtabiliter in Eccleſia ſua conſervanda. Quis *ſapiens legislator* ita rempublicam imperfectam conſtituit, ut ob defectum certæ regulæ & legis fundamentalis ultro illam a primo ſuo inſtituto brevi tempore deficere neceſſe ſit. Atqui inſtitutionem Eccleſiæ quoad plurima a Chriſto tradita dogmata, Sacramenta, & leges, deficere brevi neceſſe erat; niſi de certo conſervandæ unitatis principio ipſa jam lege fundamentali Chriſtus eidem proſpexerit; id eſt, niſi principium quoddam unitatis illi eſſentiale eſſe voluerit. Id quidem ex ipſis diviſionibus tot ſectarum ab Eccleſia Catholica, ceu a poſteriori, evidens eſt.

* Domini Proteſtantes contra hic *opponunt:* ſufficere, ut unitas Eccleſiæ talis a Chriſto conſtabilita fuerit circa *dogmata fundamentalia;* inter quæ alii quidem alia, omnes vero dogmata religionis naturalis ſcitu abſolute ad ſalutem neceſſaria, recenſent: in reliquis enim nec unitatem illam tam neceſſariam, nec errorem non voluntarium valde ſaluti noxium eſſe. *At enim* iſtud pariter probaret, ſuffecturum fuiſſe Chriſto, ut etiam divina ſua revelatione in ſolis illis dogmatis fundamentalibus ſcitu abſolute neceſſariis nos inſtruere contentus eſſet; quin integrum religionis ſyſtema ſupernaturale, tum neceſſarium & ad religionem naturalem pertinens, tum poſitivum, multaque mere poſitiva lege ſtatuta continens, nobis operoſe revelaret; abſolute ſimul voluntatem ſuam declarans, velle

ſe ſimpliciter, ut Apoſtoli, a ſe immediate de omnibus edocti, *omnes gentes docerent omnia* ſine exceptione *obſervare, quæcunque* ipſe illos *docuiſſet.* Certe haud inter improvidos illos futuri legislatores connumerare nobis licet Chriſtum DEUM Hominem; qui ædificium operoſe conſtruunt, fundamenti defectu brevi denuo ruiturum.

** Ceterum vulgo ex Catholicis Doctoribus non nulli parum ſolide, hanc notam Eccleſiæ Chriſti propriam eſſe debere, probant. *Dicunt* enim: unam eſſe tantum Chriſti fidem & doctrinam: ergo unitatem in fide eſſe notam Eccleſiæ Chriſti. *Enimvero* antecedentem propoſitionem omnes Chriſtiani admittunt; multi tamen negant inde recte conſequentem inferri. Quodſi enim Chriſtus pro indifferenti negotio habuerit, dogmatum omnium a ſe traditorum certam notitiam in futurum in Eccleſia ſua conſervari; poterit in multis eorum diſſenſio perpetua inter veræ ipſius Eccleſiæ ſocios ſalvis ſubſtantialibus & fundamentalibus dogmatis, perdurare. Probandum itaque eſt, non ſolum unam eſſe ipſius Chriſti, non diverſam, aut variantem inter ſe, doctrinam; ſed etiam voluiſſe ſerio & efficaciter divinum Magiſtrum & legislatorem, ut una ac eadem omnis doctrina ſua ſine variatione in publica Eccleſiæ ſuæ notitia ceu depoſitum inviolabile, in perpetuum conſervaretur.

141.

Sola Eccleſia Catholica, Romanum Pontificem pro capite venerans, indeque Romana appellari ſolita, unitatis ſibi eſſentialis nota, ceu vera Chriſti Eccleſia, gaudet. Sola enim vi legis fundamentalis, quam a Chriſto ſe habere acceptam profitetur, in magiſterio Epiſcoporum ſuorum, cum ſuo capite ceu Chriſti Vicario conſentientium, regulam, & principium certum, prorſusque univerſe ſufficiens habet, ſimulque

que apprime pro univerſis fidelibus idoneum, ad unitatem fidei & totius religionis inter membra ſua omnia conſervandam. Vi iſtius principii unitatis & unus ſemper Epiſcopus & immediatus paſtor eſt in quavis etiam particulari Eccleſia (Dem. Cath. §. 250), qui, quamdiu fundamento communi Eccleſiæ, id eſt, Romano Pontifici, ceu Chriſti ſupremo Vicario, in univerſa fidei & religionis doctrina adhæret, nec ipſe docendo errare, nec ſuas oves ſubditas inducere in errorem poteſt (95. 96. & Dem. Cath. 208.) Porro his ſuis paſtoribus falli-neſciis ita obedire, eorundemque deciſione ſtare in rebus omnibus ad fidem & religionem ſpectantibus divina lege obligantur, ut contraria dogmatis fidei eorum auctoritate definitis pertinaciter docentes, ceu hæretici (105. 133.), aut eorum jurisdictioni ſe ſubjicere detrectantes, ceu ſchismatici (105. 134.), vel excommunicati (135.), a toto nexu veræ Eccleſiæ Chriſti continuo ſeparentur. Itaque unitas fidei & totius religionis in Eccleſia vera Chriſti invariabilis eſt vi ipſius legis fundamentalis a Chriſto conſtitutæ, ac proinde eſſentialis eidem (138.): *quod primum. Porro nulla alia Eccleſia, chriſtianæ nomen gerens, & nominatim nulla DD. Proteſtantium hodiernorum Eccleſia, certo & ſufficiente unitatis ſibi eſſentiali, ac proprio, principio pollet.* Neque enim tale eſt S. Scriptura, quam ſolam vulgo pro regula fidei ac religionis ſuæ adoptant (37.); nec aliud ſufficiens & idoneum præter ſolius Eccleſiæ ejusque rectorum auctoritatem eſſe omnino poteſt (38.); quam tamen ipſi non acceptant. Ergo *ſola Romana Eccleſia* prædicta fidei unitate eſſentiali gaudet: *quod alterum erat.*

* Atque inde quidem illa diſſenſio actualis in doctrina eſt inter cujusque Proteſtantis Eccleſiæ membra, ut pauci

in eisdem dogmatis ex integro conveniant. Inde eſt, quod Lutherus ipſe tam varius variis temporibus in docendo fuerit, multaque poſteriore vitæ tempore aliter quam initio ſeceſſionis ſuæ a Romana Eccleſia docuerit. Sublato nempe illius unitatis principio & fundamento, neceſſe eſt nos ceu *parvulos circumferri ab omni vento*, ſeu inani ſpecie, novæ *doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris* (Ad Epheſ. IV. 14.).

** *Neque opponas:* etiam in ſcholis Catholicorum Theologorum multas eſſe diſſenſiones circa varia dogmata. Nam iſta ad fidei & religionis ſubſtantiam immediate & formaliter non ſpectant (97.) ſed tantum ad quædam cum iſtis connexa; ac præterea ipſi Theologi Catholici, ut veræ Eccleſiæ membra permaneant, quovis tempore parati eſſe debent ad ſtandum judici o Eccleſiæ, quamprimuma iſta decidere controverſias illorum operæ pretium judicarit.

142.

Sanctitas eſt rectitudo conſtans moralis, ſeu conſenſus omnium actionum liberarum entis in ratione boni cum ejusdem perfectione eſſentiali (Theol. Nat. §. 539.). Eſt ea tum *materialis;* quatenus actiones omnes liberæ ſecundum ſe materialiter theologice bonæ ſunt; tum *formalis*, quatenus pro materialiter bonis cognitæ libere ponuntur. Unde *doctrina ſancta* dicitur, ſi non niſi tales regulas proponat, quibus ſi actiones liberæ conformentur, non niſi actiones ſanctæ, id eſt, moraliter theologice bonæ & perfectæ, conſequentur. Porro *doctrina eo ſanctior erit, quo ad ſanctiores actiones, & quo ad plures vere, id eſt, materialiter & formaliter ſanctas actiones, & quo potentioribus motivis, impellet homines univerſos libero arbitrio utentes.*

143.

143.

Sanctitas eximia doctrinæ eſt nota veræ Chriſti Eccleſiæ prorſus neceſſaria. Nam cum ſit doctrina divinitus a Chriſto tradita, eoque fine, ut per eam bonum commune maximum, id eſt, maxima ſalus hominum per bene merita moralia maxima, ſeu per plurimas & maxime ſanctas actiones liberas hominum, promoveatur: inprimis materialiter ſancta ex integro eſſe debet; cum Chriſtus, divinus Magiſter, falſum docere non potuerit: tum vero ad mere ſanctas, imo ſanctiſſimas, easque plurimas, liberas actiones, per ſe & vi ſua practice movente, univerſos homines fideles, eidem ſincere & firmiter adſtipulantes impellere debet. Ergo &c. &c. Inde eſt, quod Pſal. XVIII. 8. *lex Domini* univerſe *immaculata* appelletur.

* *Neque dicas*, notam iſtam non eſſe notiorem eo, quod denotat: nam non niſi ideo eſſe ſanctam veræ Eccleſiæ Chriſti doctrinam; quia non niſi ea docet vera Chriſti Eccleſia, quæ Chriſtus eam docuit, id eſt, quia vera Chriſti Eccleſia in docendo eſt: ergo priusquam diſcernere poſſimus, an ſancte doceat, deberemus ſcire, an vere, id eſt, Chriſto conformiter, doceat; id eſt, an vera Chriſti Eccleſia ſit. *Nam* repono: *ſanctitatem doctrinæ* hic non definiri a conformitate cum doctrina Chriſti, ſed ab intrinſeca ejus virtute ad determinandas actiones materialiter & formaliter ſanctas, id eſt, in ratione bonitatis ſuæ theologicæ conſentientes cum perfectione hominis eſſentiali, ſeu participatione naturali perfectionis divinæ. Jam vero hanc doctrinæ ſanctitatem in plurimis diſcernere licet ſola ratione immediate ex ipſa *qualitate doctrinæ;* quin a priori jam opus ſit reſcire divinum *ejus auctorem* eſſe Chriſtum Dominum: uti ex mox dicendis

de

de non ſanctis doctrinis aliarum ſectarum, ab Eccleſia Catholica ſecedentium, apertiſſime patebit.

144.

Romana Chriſti Eccleſia ſancta eſt eximia ſanctitate doctrinæ ſuæ univerſæ, tum fidei, tum morum. Iſtud quidem abunde jam oſtendi in Demonſtr. Evang. §. 116. ſeqq.: quod enim ibi de doctrina Chriſti attuli, totum de Romanæ Eccleſiæ doctrina valet; ſecundum quam ibidem ipſius Chriſti Domini doctrinam recenſui. Enimvero non negant vulgo DDi. Proteſtantes ſanctitatem doctrinæ Eccleſiæ Romanæ ſimpliciter, ſed potius per quemdam exceſſum ſanctitatis, quem ſuperſtitionis nomine ſubinde appellant, in ea peccari volunt. Unde iſthic quidem argumento negativo pugnaſſe ſufficiet; cum nihil non ſanctum in Romanæ Eccleſiæ doctrina oſtendi queat; plurima vero eximie ſancta doceri ab eadem in confeſſo ſit.

* *Opponunt* quidem Acatholici vulgo adorationem Sanctorum & imaginum eorundem, ſuperſtitiones cerimoniarum innumeras, diſcrimen ciborum Judaicum &c. &c. *At enim* iſta a doctioribus Proteſtantium hodie ſerio haud amplius opponuntur. Conſtat enim, tam ſtolidum eſſe neminem unum ex catholicis vel ruſticum hominem, qui ſanctos pro totidem Numinibus habeat, aut imaginibus ipſis abſolute honorem deferat. *Cultus* non eſt niſi ſignificatio externa eximiæ æſtimationis internæ objecti alicujus. Cultus ergo ſi rei falſæ, aut ultra meritum rei veræ non deferatur, ſanctus eſt. Atqui ſignificando nos æſtimare ſanctos in imaginibus repræſentatos ut DEI amicos, meritis & gloria apud DEUM eximios præ aliis, nec falſi quidpiam miſcemus, nec ultra meritum quid objecto tribuimus. *Invocamus* etiam Sanctos ut interceſſores DEI vultui jam

præ-

præſentes, a quo nos peregrinamur adhuc: non quod vel diffidamus DEO, vel ab ipſis Sanctis immediate opem malorum noſtrorum expectemus; ſed quod ex modeſtia noſtris meritis & propriæ dignitati diffiſi, imo propriorum demeritorum conſcii, digniores oratores pro nobis DEI throno ſiſtere, & DEO præter propriam bonitatem infinitam alia multiplicia miſerendi motiva præſentare, ceu demeritis noſtris ex adverſo oppoſita, allaboremus. Hoc ſi DEO injurium eſſet; nec Chriſti merita & interceſſionem, ceu motivum ſpei utique a divina æterna bonitate diverſum, aſſumere ſalvo DEitatis honore liceret. Certe peccati ſe reum feciſſet Moſes, medium ſe interceſſorem DEUM inter & populum infidelem interponens. *Cærimoniæ* ab inſtitutione vim ſignificandi religioſam habent. Si ergo nec falſi quidpiam, nec minus ſanctum & pium vi inſtitutionis Eccleſiæ ſignificent; optimos uſus pro rudioribus imo univerſis piis fidelibus habebunt: id quod rurſus doctiores Acatholici cum Ill. L. B. Chriſtiano Wolfio non diffitentur; optantes potius ſimilem in Eccleſiis ſuis cerimoniarum uſum. *Diſcrimen ciborum eſurialium* ſi ſancto fine, ad mortificandam carnem videlicet, a legitima poteſtate inſtitutum ac præceptum ſit, malum, imo non ſanctum, eſſe non poteſt: ſecus nec a DEO ipſis præſcribi Judæis potuiſſet. Probari ergo oporteret, aut bonum ejus uſum eſſe non poſſe, aut non a legitima poteſtate in Romana Eccleſia præſcribi. Atqui neutrum probatur.

145.

Lutheri & Calvini Eccleſia ſancta non eſt. Ambo enim docent, liberos non eſſe homines in ſtatu præſente naturæ lapſæ; alios ſolius DEI inevitabili decreto eſſe prædeſtinatos ad ſalutem, alios ad ruinam æternam; ſine merito operum liberorum, ſola fide & fiducia in Chriſtum prædeſtinatos perduci ad

ad ſalutem, & ejuſdem defectu reprobos præcipitari in ruinam &c. &c. Atqui doctrinæ iſtæ adeo non promovent actiones ſanctas; ut potius omnia bene agendi motiva evertant: id quod explicatione opus non habet, ſed ſenſu intimo abunde adpercipitur ab omni eo, qui iſtas vitæ regulas ſemel ſerio pro certis adoptat.

146.

Catholica Eccleſia dicitur, quæ vi ſuæ inſtitutionis, ſeu lege ſuperioris, ſeu pacto voluntario factæ, deſtinatur, & ordinatur, ad recipiendos inter ſua membra omnium gentium, locorum, & temporum homines.

* Inde quidem nomen græcum a *κατα* & *ὁλος* derivatum; idemque dicens atque *univerſalis Eccleſia*.

147.

Vera Eccleſia Chriſti ex lege ipſius auctoris ſui divini deſtinata, & ordinata eſt, ut ſit catholica. Chriſtus enim ipſe hoc divini conſilii ſui decretum congregatis Apoſtolis aperuit Luc. XXIV. 46. *Quoniam*, inquit, *ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum* IN OMNES GENTES. Et Matth. ult. 18. *data eſt*, ait, *mibi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo* DOCETE OMNES GENTES, *baptizantes eos* (id eſt, ſigno viſibili cooptantes eos in Societatem Eccleſiæ meæ) *& docentes ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce! ego vobiscum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* Ecce! *omnes gentes* doceri & baptizari, idque *omni tempore* uſque ad mundi finem, præcipit. Ergo per

per §. præc. &c. &c. Idem repetit jamjam aſcenſurus in cœlum Act. I. 8. *eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.*

* Nimirum doctrina univerſa religionis a Chriſto tradita, & ope inſtitui in Eccleſia ſua regiminis conſervanda & in ultimum uſque mundi ævum transmittenda, medium erat a Chriſto ſelectum generale & pro univerſis hominibus ad eorum ſalutem promovendam. Ergo Eccleſia eam in depoſito tenens diffundi per omnem orbem debebat.

148.

Eccleſia Chriſti, quam Romanam appellamus (141.), *catholica fuit inde ab initio usque ad hodiernam diem.* Omnes enim Eccleſiæ particulares, quæ ſe Eccleſias Chriſti dixere, & reipſa per totum orbem diſperſæ ſunt, inde ab initio usque ad hanc diem, communionem fidei & totius doctrinæ religionis ſe habere cum Romana Eccleſia profeſſæ ſunt, nec niſi eas Eccleſias in ſui communionem, ſeu nexum ſocialem Eccleſiaſticum admiſere, qui cum Romana Eccleſia unitate fidei communicarent, & quas iſta viciſſim in communionem admitteret. Id quidem patet ex dictis de communi ſenſu omnium Patrum circa neceſſariam communionem univerſæ doctrinæ fidei ab omnibus Chriſtianis cum Romana Eccleſia & S. Petri Succeſſore habendam (Dem. Cath. §. 157.) *Porro* id genus Eccleſias cum Romana communicantes per omnem Aſiam, Europam, & Africam, jam inde ab Apoſtolorum temporibus extitiſſe, tum per ſe ex hiſtoria Eccleſiaſtica notiſſimum eſt, tum ex alibi a me dictis (in Dem. Evang. §. 246.) de prædicatione Apoſtolorum per totum orbem, abunde patet. Denique etiam in Americam penetraſſe lu-

lumen fidei Romanæ notum quoque ac pervulgatum eſt; ubi non niſi Romanæ Eccleſiæ addicti Epiſcopi Eccleſias regunt. *Præterea* Romanæ Eccleſiæ ſemper proprium fuit per Apoſtolos in omnem orbem dimiſſos omnes nationes infidelium ad Chriſti fidem & ſui communionem baptismo ſuſcepto invitare; uti conſtat de Apoſtolis in Angliam a S. Gregorio M., in Germaniam a Gregorio II., in Indias a Paulo III. aliisque deinceps in Japoniam & Sinas &c. &c. miſſis.

149.

Eccleſiæ Lutheri & Calvini Catholicæ non ſunt. Seculo enim primum ſextodecimo incepere; nec extra Germaniam, Galliam, aliasque non nullas his finitimas provincias ſeu communionem ſuam Eccleſiaſticam, ſeu doctrinæ ſuæ prædicationem extulere.

* Fruſtra ad inviſibilem ſtatum Eccleſiæ confugiunt DDi. Proteſtantes, ut juventutem Eccleſiæ ſuæ in ſenium vertant. *Eccleſia inviſibilis* ad omnes gentes in ſui communionem adducendas per ſe idonea non eſt, nec proin catholica vi ſuæ naturæ & inſtitutionis.

150.

Apoſtolica dicitur quævis Eccleſia Chriſti nomen præ ſe ferens, ſi fidei doctrinam ab Apoſtolis traditam nulla in parte variatam retineat, & rectores habeat continua ſucceſſione legitima ab Apoſtolis deſcendentes.

151.

Vera Chriſti Eccleſia Apoſtolica eſſe debet. Soli enim

enim Apoſtoli, immediate a Chriſto miſſi ad Eccleſias ex omnibus gentibus fundandas, univerſæ doctrinæ Chriſti depoſitum immediate ab hoc divino Magiſtro accepere, idemque aſſiſtente S. Spiritu ſecundum Chriſti promiſſum fideliſſime cunctis gentibus tradidere, ſimulque pro poteſtate a Chriſto accepta Eccleſiis omnibus a ſe fundatis Epiſcopos legitimos cum poteſtate mere ſpirituali Ordinis & jurisdictionis præpoſuere (Dem. Cath. §. 149.). Nulla ergo vera Chriſti doctrina eſſe poteſt, quam non primitus Apoſtoli a Chriſto acceptam tradidere; nullus verus Epiſcopus, qui non legitima ſerie ab aliquo Epiſcopo per Apoſtolum ordinato, ac conſtituto, deſcendat. Cum ergo vera Chriſti Eccleſia non niſi ea ſit, quæ veram Chriſti doctrinam univerſam tenet, & rectores ex lege Chriſti rite conſtitutos, & Eccleſiam regentes, habeat (92.); evidens quoque eſt, veram Chriſti Eccleſiam Apoſtolicam eſſe debere (præc.).

* Aptiſſime Tertullianus de præſcript. c. 21. *conſtat,* ait, *omnem doctrinam, quæ cum Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a DEO accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam,* quæ *ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, Apoſtolorum, Chriſti & DEI.*

152.

Romana Eccleſia vere Apoſtolica eſt. Omnium enim Eccleſiarum Chriſtianarum, cum Romana Eccleſia communionis nexu devinctarum, Epiſcopi continua ſerie ab aliquo ex Apoſtolis deſcendunt (uti Eccleſiarum ſingularum Catalogi ſucceſſionis Epiſcoporum oſtendunt) quin unquam alius admitte-

retur Epiſcopus, niſi ab alio Apoſtolico Epiſcopo cum Romani Pontificis conſenſu rite ordinatus (Dem. Cath. §§. 177. 251. 260.). Ex altera vero parte unitas eſſentialis Romanæ Eccleſiæ propria (141.) obſtabat, quo minus pars una ejus Eccleſiæ ſine altera a doctrina Apoſtolica deficere ullo tempore potuerit. Atqui univerſas Eccleſias Chriſtianas, cum Romana communionis mutuæ nexu devinctas, ſimul a doctrina Apoſtolica ulla in parte defeciſſe, nullo vel probabili documento probari poteſt, nec tempus ullum, nec modus defectionis iſtiusmodi aſſignari. Ergo &c. &c.

* *Accuſant* quidem DDi. Proteſtantes defectionis iſtiusmodi Romanam Eccleſiam in multis. *Verum* cum defectio iſta in dogmatis fidei contingere in Romana Eccleſia non potuerit, quin omnes cum ea unitæ Eccleſiæ vel ſimul deficerent ob unitatem Eccleſiæ toti catholicæ eſſentialem, vel certe unitas iſta atque ipſa Eccleſiarum ceterarum catholicarum cum Romana unio diſrumperetur: eo ipſo quod de diſruptione iſtiusmodi nihil uſquam conſtet; objectionis inanitas per ſe patet.

** *Neque dicant*, græcam Eccleſiam omnem reipſa ob id genus Romanæ Eccleſiæ a fide defectionem ab ipſius unione receſſiſſe. *Nam* excepto Primatu S. Petri, ceteros Græcorum errores, quos Romana Eccleſia rejecit, etiam DDi. Proteſtantes vulgo rejiciunt; & vice verſa, quos in DDis Proteſtantibus damnat errores Romana Eccleſia, eosdem damnat quoque Eccleſia græca. Ergo ex græcæ Eccleſiæ diſceſſione a Romana Eccleſia iſtius a fide Apoſtolica diſceſſio inferri a DDis Proteſtantibus non poteſt. *Praterea* conſtat, Græcos ab ea fide & obedientia erga ſummum Chriſti Vicarium defeciſſe, quam prius ipſimet cum ceteris univerſis catholicis Eccleſiis, ceu ab Apoſtolis traditam & præceptam, profeſſi fuerant. Græci itaque, non Ro-

Romanæ Eccleſiæ addicti, ab antiqua doctrina Apoſtolica defecere.

153.

Eccleſiæ Lutheri & Calvini Apoſtolicæ non ſunt. Nullam enim Eccleſiam ſeculo decimo antiquiorem oſtendere poſſunt, quæ vel in pleriſque doctrinæ ejus capitibus cum ipſis ſenſerit, in quibus ipſæ a Romana Eccleſia diſſentiunt: ergo nova eſt earum *doctrina, nec ab Apoſtolis accepta.* Sed *neque rectores habent legitima ſucceſſione ab Apoſtolis deſcendentes.* Nec Lutherus enim, nec Calvinus, ullam poteſtatem regendi Eccleſias ſuas ab aliquo Epiſcopo, Apoſtolorum legitimo ſucceſſore, accepere. Etenim licet *Sacerdos* fuerit Lutherus inter catholicos verſatus; tamen Sacerdotium catholicum Lutherani ipſi non pro vero agnoſcunt. Ut *Doctor Theologiæ* in ſcholis quidem docere poterat, dum Eccleſiæ fidelis id facere permitteretur: at nemo ipſi ut ſuperiori obedire, aut doctrinæ ipſius adſtipulari aliter tenebatur, quam quoad Eccleſiæ rectoribus probaretur. Ut ergo nemo Lutherum audire, eidemque adſtipulari tenebatur, cum aliena a ſenſis Epiſcoporum doceret; ita nec poteſtate obligandi auditores ſuos ad ſibi aſſentiendum pollebat, id eſt, nullam regendi Eccleſiam, aut docendi authentice, poteſtatem ab ullo ſucceſſore Apoſtolorum acceperat. Idem de Calvino ex æquo valet.

* Miſſionem divinam extra ordinem factam in Luthero, vel Calvino, aſſerere hodie vix porro audent ipſorum aſſeclæ, ceu omni veriſimili argumento deſtitutam. Certe illam inveriſimilem prorſus facit vel ſola variatio Lutheri in diverſis dogmatis, ultra complures a prima ejus miſſione annos (præſertim in Myſterio SS. Euchariſtiæ) conti-

nuata. Sane Apoſtoli veri, a Chriſto divinitus miſſi, ſimul ac officio Apoſtolico plene initiati, etiam plene jam prius a Chriſto inſtructi, atque a S. Spiritu illuſtrati ſunt, quam Evangelium publice in die Pentecoſtes annuntiare inciperent.

154.

Notæ ſingulæ huc uſque de vera Chriſti Eccleſia recenſitæ nempe quod ſit una, ſancta, catholica, & Apoſtolica, neceſſariæ illius notæ ſunt, 2) *& ſaltem omnes ſimul ſumtæ ſunt notæ adæquatæ;* 3) *ac proinde, cum omnes ſoli Romanæ Eccleſiæ, & eis, quæ huic mutuæ communionis nexu per univerſum orbem adſtringuntur, conveniant; non niſi Romana Eccleſia, & quæ huic uniuntur, veram Chriſti Eccleſiam conficiunt. Primum* ex dictis §§. 136. 140. 143. 147. 151. patet. *Alterum* exinde manifeſtum eſt, quod ſaltem ſimul ſumtæ, & prout notam *Apoſtolicæ* includunt, nulli non veræ Chriſti Eccleſiæ convenire poſſint: ſiquidem doctrina & regimen ab Apoſtolis acceptum ipſam Chriſti Eccleſiam certiſſime conficiunt (92.) nulli alteri Eccleſiæ conveniant (136). Et quoniam Proteſtantium Eccleſiis nulla ex eis notis convenit (141. 145. 149. 153.); Græcorum vero Eccleſiæ nec unitas (ſaltem eſſentialis) nec nomen catholicæ, imo nec Apoſtolicæ ex integro (quoad doctrinam videlicet) congruit: etiam *tertium* prorſus manifeſtum fit.

* Recte ergo argumentaberis negative: *hæc Eccleſia una non eſt, ſancta non eſt &c: ergo vera Chriſti Eccleſia non eſt.* Sed non ex ſingulis recte argumenteris affirmative: *hæc Eccleſia* (ex. gr. Græca. *una eſt; ergo vera*: vel: *ſancta eſt; ergo vera*: hoc enim immediate de ſola *Apoſtolicæ* nota valet; de qua recte inferes ſic: *hæc Eccleſia ex integro*

tegro

tegro Apoſtolica eſt: ergo vera eſt. Unde a fortiori valebit affirmativa argumentatio ab omnibus notis concludens ad veritatem Eccleſiæ Romanæ; ac proinde recte quatuor hæ notæ pro vera Chriſti Eccleſia in Symbolo Conſtantinopolitano aſſignantur.

CAPUT IV.

DE AUCTORITATE ROMANORUM PONTIFICUM ET CONCILIORUM ECCLESIAE CHRISTI.

155.

Eccleſia Chriſti virtute divinæ inſtitutionis auctoritatem ſuam in definiendis dogmatis fidei & morum exercet per ſolos Epiſcopos & per Romanum Pontificem ceu caput omnium Epiſcoporum. Chriſtus enim poteſtatem docendi authenticam, & jurisdictionem ſpiritualem per ſe conceſſit immediate ſolis Apoſtolis, cum perpetuo jure eam transmittendi in ſucceſſores ſui muneris Epiſcopos, ſimulque cum ſubordinatione ad S. Petrum, ejusque ſucceſſores in Primatu jurisdictionis, Romanos nempe Pontifices. Ex adverſo Parochi nulla jurisdictione propria, immediate divinitus accepta, ſed ſolum ordinaria delegata ab Epiſcopis gaudent (Dem. Cath. §§. 184. 185.).

156.

Eccleſia ſuam auctoritatem nunquam modo infallibili, id eſt cum certa & efficaci directione S. Spiritus exercet, niſi Epiſcopi quicunque eam exercentes agant nomine Chriſti & ſecundum legem fundamentalem a Chriſto latam, id eſt, niſi docendo fidei

 do-

dogmata innitantur fundamento Eccleſiæ, S. Petro videlicet ejusque Succeſſori Romano Pontifici. Non enim niſi hac ſub conditione Chriſtus Matth. XVIII. 20. promiſit, *ſe futurum in medio eorum;* nec Epiſcopi unquam agunt vere ut miniſtri JESU Chriſti ſupremi principis Eccleſiæ ſuæ; niſi cum agunt conformiter legi fundamentali ab eo conſtitutæ. Atqui hæc eſt lex fundamentalis &c. (Dem. Cath. §§. 134. ſeq.).

157.

Concilium Eccleſiæ Chriſti vocatur conventus Epiſcoporum in uno aliquo loco ibidemque fungentium miniſterio ſuo in nomine JESU Chriſti in paſcendis fidelibus doctrina fidei & morum authentice declarata, aut legibus ad communem utilitatem ſpiritualem Eccleſiæ ſanciendis. *Concilium particulare* eſt, cum ex paucis reſpective provinciis Eccleſiæ catholicæ Epiſcopi dicto fine conveniunt; & ſiquidem ex omnibus provinciis unius ejusdemque ſolum nationis conveniant, *Nationale*; ſi ex una tantum provincia, *Provinciale* appellatur. *Concilium generale* eſt, ſi ex omnibus, vel ſaltem plurimis, Eccleſiæ catholicæ Nationibus, quam multi Epiſcopi actu conveniant, omnibus ceteroquin legitime invitatis. *Synodus Diœceſana* appellatur conventus Presbyterorum ſuæ diœceſeos ab Epiſcopo celebratus.

158.

Sacris Scripturis adverſum eſt, concilium generale, aut conſenſum qualemcunque unanimem Epiſcoporum, eſſe unicum modum, quo Eccleſia modo infallibili definire quæſtiones fidei poſſit. Nam *ex una parte* nuſpiam Chriſtus hoc remedium generalis conci-

cilii, aut conſenſus unanimis requirit ad hoc, ut ipſe per S. Spiritum Eccleſiæ ſuæ rectoribus docentibus certo aſſiſtat; neque etiam exemplum aut veſtigium generalis concilii ex occaſione ortæ controverſiæ fidei ab Apoſtolis celebrati, aut ſaltem opinionis eorundem de neceſſitate talis remedii ad controverſias quaſcunque fidei finiendas, uſpiam in SS. Scripturis extat. Certe *concilium Ieroſolymitanum*, quod Act. XV. celebratum eſt ob ortam controverſiam de legalibus, adeo generale non fuit, ut ne cogitarint quidem Apoſtoli, Ieroſolymis alioquin tunc fortuito præſentes, de aliis Ieroſolymam convocandis Apoſtolis, vel Epiſcopis, & revera præter Petrum, Jacobum, Paulum, & Barnabam, pauci vel Apoſtoli, vel Epiſcopi, actu interfuere; nullus vero omnino aliunde eo invitatus fuiſſe, nec abſentium conſenſus aliquis utcunque unanimis fuiſſe requiſitus legitur; & nihilominus Apoſtoli numero utcunque pauci præſentes confidenter ac certo pronuntiabant: *viſum eſt ſpiritui Sancto, & nobis. Ex altera parte* Chriſtus abſolute promiſit, *ſe fore in medio* etiam *duorum vel trium, ſi in ſuo nomine fuerint congregati:* item firmitatem ædificii Eccleſiæ ſuæ ſe non in multitudine Epiſcoporum, ſeu Apoſtolorum, ſed in una *petra*, id eſt, S. Petro, in perpetuum ita fundaturum, *ut portæ inferi nunquam adverſus eam prævalerent.* Ergo &c. &c. *Præterea* Chriſtus Dominus ſe affuturum Eccleſiæ ſuæ continue, *uſque ad conſummationem ſeculi omnibus diebus* promiſit Matth ult. ult., utique in omni neceſſitate ad ſalutem communem pertinente. Atqui non ſic profecto adeſſet, ſi directionem ſuam falli neſciam reſtringeret ad ſola Concilia generalia, vel ad unanimem conſenſum qualemcunque Epiſcoporum. Hujuſmodi enim remedii ſæpe numero ſaltem moraliter impoſſibilis eſt copia ad tempus longiſſimum;

quo interim labente hæreſis cum damno ingenti animarum ſecure graſſaretur. Bella enim, contentiones, & rationes politicæ, quæ Chriſtianos Principes inter ſe, & non raro ab ipſo Eccleſiæ capite, quod item nunc terreno ſimul Principatu præfulget, acerrime dividunt, inſuperabilia ſæpe generali Concilio obſtacula ponunt; id quod vel ex unius Tridentini Concilii hiſtoria abunde diſcimus. Ergo &c. &c.

* His adde: minoris longe nominis legislatores prævidiſſe lites & difficultates, quæ naſci in populo poſſent, cujus regimen ordinabant, atque eisdem omni in caſu definitivo judicio finiendis opportunum, efficax, idemque non difficillimum remedium providiſſe. Et JESUS Chriſtus, ipſa increata æternaque DEI Sapientia, reliquerit Eccleſiam ſuam in plurimis caſibus aut tali remedio omnino deſtitutam, aut non niſi difficillimo impendio applicandum obtulerit? Quos interim progreſſus factura eſſet hæreſis, ſi ad eam ſimpliciter convincendam ſemper abſolute opus eſſet convocatione Epiſcoporum ex omnibus orbis partibus? Quibus periculis religio eſſet expoſita in longa illa Conciliorum expectatione? Celebratio Conciliorum generalium dependet ab infinito numero perſonarum, obſtacula ponere valentium. JESUS Chriſtus e contra ſine dubio voluit extare in terris tribunal independens ab hominum improborum mala voluntate; quodque ceu viſibile, ac ſemper perdurans, quovis tempore errori reprimendo par eſſet. Unde & dixit: *ſi duo, vel tres ex vobis congregati fuerint in nomine meo &c. &c.*

** Ceterum non eſt ſententia hæc ſolum privatorum Theologorum, ſed Epiſcoporum & totius Cleri Gallicani; quam leges in *Mandement Paſtoral au Sujet de la Conſtitution Unigenitus* a. 1718. pag. 10: item in Epiſtola, quam Epiſcopi in comitiis Cleri Gallicani a. 1724. 4ta. Maji ad Re-

gem

gem dedere; quorum pæne ipſa verba in adnot. præc. recitavi. Eminentiſſimus Cardinalis de Biſſy in celeberrima ſua Inſtructione Paſtorali a. 1722. edita contrariam ſententiam dicit opponi auctoritati Eccleſiæ, praxi omnium temporum, & ſenſis conventuum Cleri Franciæ juxta ac ſapientiſſimis quibusque Epiſcopis ejusdem regni.

*** *Quodſi objicias*, S. Auguſtinum L. II. contra Donat. C. 4. n. 5. aſſerere; quæſtionem de baptismo hæreticorum non potuiſſe decidi niſi in Concilio plenario: *reſpondet* idem Eminent. de Biſſy in altera Inſtructione Paſtorali edita a. 1728. pag. 23. *legiſſe ſe illos textus, nec aliud inveniſſe, quam quod, cum quæſtio illa diu in diverſis mundi partibus a multis Conciliis agitata fuiſſet, terminata non fuerit niſi in plenario Concilio. An vero hoc idem eſt ac dicere, non potuiſſe eam controverſiam decidi a S. Stephano cum valde magno numero Epiſcoporum ei adhærente? Unde præſumtio hæc de tali mente S. Auguſtini? Profecto ſophiſma hic palpabile ſe prodit.* Huc uſque Eminentiſſimus de Biſſy. Sed adde his dicta de S. Auguſtino in Dem. Cath. §. 276. not. 1. & 2.

159.

Sine concurſu, conſenſu, & confirmatione Romani Pontificis, ceu ſucceſſoris S. Petri in Primatu ſupremo Eccleſiæ, nullum Concilium Generale ſupremo & falli neſcio judicio de cauſſis fidei decidere, nec legem univerſalem Eccleſiaſticam condere poteſt; multo minus eodem diſſentiente. Firmitas enim omnis ædificii a fundamento eſt, & S. Petrus unus in ſuis ſucceſſoribus pro eo fundamento a Chriſto Domino poſitus eſt, a quo firmitas Eccleſiæ in ævum unice penderet. Ubi ergo fundamentum deeſt, vel ei Eccleſia non inſiſtit; firmitas fidei irrefragabilis eſſe

M 5 non

non poteſt: multo vero minus, ubi pars quædam Eccleſiæ ſe ipſam a fundamento ſeparat, & ei ex adverſo ſtat. Quod ad legem univerſalem Eccleſiaſticam attinet; id ipſum patet ex dictis in Dem. Cath. §. 277.

* Et vero unde probet catholicus quiscunque, Nicænum II. generale Concilium potius ſtetiſſe in veritate fidei de licito cultu Imaginum, quem aſſeruit, quam Concilium Conſtantinopolitanum paullo ante illud ab Imperatore Copronymo celebratum, quod eundem rejecit: niſi præciſe ex eo, quod illud probatum, hoc vero ceu erroneum reprobatum a Romano Pontifice fuerit. Nihil certe in ceteris omnibus ſimilius duobus his Conciliis in numero & qualitate perſonarum & Epiſcoporum, qui ad ea convenerunt: & tamen certiſſimum eſt, erraſſe unum, verum e contra docuiſſe alterum. Recte nimirum *S. Gelaſius I.* Papa (T. II. L. IV. c. 4.) dixit: *totum in Sedis Apoſtolicæ poſitum eſt poteſtate. Ita quod firmavit in Synodo Sedes Apoſtolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem.* Et ſimiliter de *Ariminenſi* Concilio *S. Damaſus* Ep. III. T. I. Epiſt. R. P. Col. 489.: *neque enim præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenere: cum conſtet, neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes fuit expetenda ſententia, hujusmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe.*

160.

I. *Eccleſia ergo judicium ſuum falli neſcium, & S. Spiritu certo dirigente, in cauſſis fidei & morum exercet 1.) in Conciliis generalibus per vota Epiſcoporum Romano Pontifici conſentientium, vel ab eodem probata, & confirmata: 2.) extra Concilium generale per Romanum Pontificem publice & ſolenniter ad univerſam Eccleſiam loquentem, adjipulante*

ſem-

ſemper eidem aliquo quamlibet magno numero Epiſcoporum, ſeu in Concilio particulari congregatorum, ſeu non congregatorum. Non enim magnum aliquem numerum, ſed quamlibet paucorum conſenſionem agendi ſecundum legem fundamentalem a ſe conſtitutam (*in nomine meo*) Matth. XVIII. 20. requiſivit Chriſtus, ut ipſe certo eſſet in medio eorum. Non multitudini, ſed uni fundamento, S. Petro videlicet, firmum Eccleſiæ ſuæ ædificium Matth. XVI. ſe inædificaturum promiſit. *Denique* Eccleſia Chriſti, ſemper una eademque, ex Primate ſupremo, ex Epiſcopis nullo certo numero, & ex ſubditis fidelibus, tum clericis, tum laicis, vi inſtitutionis divinæ per eſſentiam conſtat; quin compertum uſpiam ſit, ad quam parvum numerum fidelium membrorum redigi demum aliquando poſſit. Ex qua parte ergo Primas Eccleſiæ ceu fundamentum ſtat, & Epiſcopos certo quocunque numero, cum fidelibus, clericis, & laicis, ſibi inædificatos habet; ibi vera Chriſti Eccleſia eſt; & nuſpiam alibi, ubi iſta eſſentialia, aut quodlibet ipſorum deeſt.

161.

II. *Poteſtatem vero legislatricem univerſalem in conſtituendis mere Eccleſiaſticis legibus omnes totius orbis chriſtiani fideles obligantibus, Eccleſia exercet non per ſolum Romanum Pontificem* (Dem. Cath. §. 29.), *ſed per eundem, & univerſos Epiſcopos ſimul cum eo conſentientes, ſeu congregatos, ſeu non congregatos in Concilio generali* (loc. cit.).

162.

III. *In caſu ſchiſmatis duorum, vel plurium, Romanorum electorum Pontificum, Eccleſia per Epiſcopos in concilium generale convocatos, exercet judici um*

um falli neſcium in agnoſcendo vero capite (Dem. Cath. §. 140.): 2) *eodemque in caſu penes Epiſcopos convocatos jus liberum eſt prævіis ſuffragiis communibus & unanimis ſtatuendi certum concludendi modum, ex. gr. per vota curiata, aut viritim numerata, per vota majora, vel duas tertias &c.* Cum enim omnium Eccleſiarum ex æquo interſit habere verum caput; omnibus Epiſcopis judicium hoc in caſu ex æquo competit; &, niſi proprio arbitrio quisque ſuffragii viritim dandi jure cedat, par jus cuique manet in hoc judicio; niſi lege aliqua antecedente univerſali Eccleſiaſtica aliud conſtituatur.

* Ex his facile defendes agendi modum ſingularem in Conſtantienſi Concilio contra aliorum conciliorum morem introductum; quamdiu de ſola cauſſa ſchiſmatis agebatur. Aſt extendi idem ad cauſſam fidei finiendam ſine veri ac certi Capitis interventu non poterat.

163.

IV. *Concilia generalia in caſu ſchiſmatis, aliquando latius cum integrarum nationum Chriſtianarum diſſidio graſſantis, poſſunt evadere abſolute neceſſaria ad idem decretorio judicio finiendum* (præc.). Exemplum notiſſimum eſt in eo, quod in Conſtantienſi denique Concilio poſt annos pæne quadraginta extinctum eſt.

V. *Extra iſtum caſum non ſunt per ſe neceſſaria ad definiendas decretorio judicio falli neſcio controverſias fidei* (158 160.).

VI. *Sunt tamen non ſolum utilia, ſed ſubinde per accidens neceſſaria ad refringendam numero & auctoritate ſapientiſſimorum Epiſcoporum coram præſentium pertinacem audaciam hæretice ſentientium.*

VII.

VII. *Vis major Conciliorum generalium ad hunc finem non conſiſtit in majore gradu infallibilitatis* (17.); qui ſemper idem eſt in quovis judicio a S. Spiritu directo (160. n. 2.): *ſed in eo, quod, cum communi examine diſcutiuntur argumenta rectæ fidei, & errores refutantur; ex ipſa publica conſenſione totius Eccleſiæ, per Epiſcopos univerſe convocatos repræſentatæ & publice conjunctæ cum ſuo Capite, facilius frangatur ſuperbia & pertinacia hæreticorum, doctrinæ ſuæ, vel etiam adhærentium ſibi numero, confidentium.*

VIII. *Denique Concilia generalia etiam neceſſaria evadere poſſunt ad reſtaurandam communi opera Eccleſiaſticam diſciplinam, ex ipſa multorum Epiſcoporum negligentia, vel incuria, nimis delapſam:* ut videlicet novis legibus communi conſenſu ad neceſſitates Eccleſiæ levandas ſtatuendis Epiſcopi negligentiores minus ſeſe opponant, auctoritate tot aliorum, communis boni Eccleſiæ magis ſtudioſorum, permoti: tum vero etiam, ut rei neglectorum Canonum, olim communi conſenſu jam ſtatutorum, ſalubri correctione, atque etiam ſolenni punitione, emendentur (Dem. Cath. §. 279. 280.); ſi ita neceſſe ſit.

164.

Poteſtate coactiva ſpirituali convocare Concilia generalia poteſt ſolus Romanus Pontifex, ut ſummus Primas Eccleſiæ univerſæ. Solus enim ille jurisdictioni ſuæ ſuperiori ſpirituali ſubjectos & ſubordinatos ipſo jure divino habet Epiſcopos totius orbis Chriſtiani.

165.

Per ſe loquendo etiam ſolius Romani Pontificis, ut

ut Primatis Eccleſiæ, proprium officium divino jure eſt, convocare Epiſcopos omnes ad generale Concilium, & judicare, an tantæ machinæ movendæ vera neceſſitas quovis in caſu exiſtat. Soli enim Petro a Chriſto dictum eſt: *paſce oves meas*, id eſt, totius ovilis curam ſupremam habe. Ex adverſo mere per accidens eſt, ut unus toti Chriſtiano orbi temporali poteſtate imperet; vel ut concordia & pace aliorum Regum Chriſtianorum fruatur, ac proin auctoritatem ſuam interponere cum effectu poſſit ad hoc, ut omnes Epiſcopi conveniant: imo is ipſe ſubditus ſpirituali Epiſcoporum & Capitis Eccleſiæ poteſtati ſine dubio eſt.

166.

Nihilominus Principes, atque inprimis Imperator, non quidem ſpirituali, ſed temporali ſua poteſtate etiam coactiva urgere poſſunt in caſu veræ publicæ neceſſitatis convocationem Conciliorum generalium, ſubtractione redituum temporalium urgendo tum Epiſcopos ad obſequendum imperio Romani Pontificis Concilium generale convocantis immorigeros, ut actu conveniant; tum ipſum Romanum Pontificem in eo convocando forte aliquando ex rationibus mere politicis & cum certo boni communis detrimento tardiorem, ut actu, & loco quidem opportuno, convocet. Cum enim Princeps quisque defenſor primus ſit omnium jurium ſuorum ſubditorum, & Princeps Chriſtianus æque bonum ſpirituale civium Chriſtianorum promovere, imo magis etiam, quam temporale, ex officio teneatur; quo ipſo nomine, non alio, *advocatus Eccleſiæ* appellatur: ex altera vero parte in caſu certæ ac publicæ neceſſitatis fideles omnes Eccleſiæ ſubditi jus habeant certum exigendi executionem ſpiritualis officii ſui æque ab Epiſcopis, atque ab ipſo Papa; vel certe ipſis non niſi titulo re-

rectæ executionis ejusdem ſpiritualis officii decimas & reditus congruæ ſuſtentationis debeant: idcirco Princeps quisque nomine communi civium Chriſtianorum ſibi ſubditorum debitam quamlibet officii ſpiritualis adminiſtrationem executionemve a quovis Epiſcopo, atque etiam Romano Pontifice, in caſu certæ neceſſitatis exigere, & intentata redituum temporalium ſecus facienda ſubtractione urgere poteſt.

* Enimvero Caroli V. Imperatoris molimina in urgenda convocatione Concilii generalis, & quidem in urbe aliqua Germaniæ, item in eo retinendo Tridenti, & impedienda translatione ejusdem in quamvis Italiæ urbem, mihi optimo ſtudio in Eccleſiam & ſapientia plena videntur. Interim ſi quando diſſidiis politicis ſummi Principes cum Capite Eccleſiæ, quod itidem terreno nunc principatu gaudet, infeliciter collidantur: enimvero tum non levis erit difficultas, ut quisque intra juſti limites ſe contineant, nec, quod non niſi in vera publica ſpirituali neceſſitate ſub certisque conditionibus licet, idem quovis modo ſibi licitum exiſtiment. Nihil certe tam verum quod non abuſui pateat.

167.

Jus definitivæ ſententiæ in Conciliis ſoli Epiſcopi jure divino habent. Soli enim jurisdictione immed ate a Chriſto accepta, eaque propria, gaudent, (Dem. Cath. §. 181. 182.), & ex Chriſti Domini inſtitutione non niſi Epiſcopis regimen Eccleſiarum proprium eſt.

* Ceteri ergo quicunque *conſultivum votum* quidem ſuggerere poſſunt, ſi admittantur, uti ex. gr. Theologiæ & Juris Canonici Doctores ab Epiſcopis pro Conſultorum officio conſtituti; ſed non decretoriam ac judicialem ſen-

ten-

tentiam ferre. Interim Generales Ordinum, & Abbates, qui jurisdictione quaſi Epiſcopali ordinaria, delegata videlicet, gaudent, ex privilegio Eccleſiæ etiam voti definitivi jure in Conciliis fruuntur.

168.

Romano Pontifici jure divino competit Conciliis Generalibus præſidere, id eſt, rectum illorum ordinem poteſtate ſuperiore dirigere & gubernare. Ipſius enim eſt regere etiam Epiſcopos, ceu vere illi ſubditos; quales eſſe non ceſſant ex eo, quod in commune congregentur. *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

169.

Particulare quodvis Concilium, Capiti Eccleſiæ conjunctum, & conſentiens, ab eoque ſolenniter probatum, æque infallibili judicio controverſias fidei decidit, ac Concilium generale (160. *n.* 2.). 2.) *Non tamen æque efficax eſt ad frangendam ſuperbiam & pertinaciam male ſentientium hæreticorum* (163. VII.). 3.) *Sine conſenſu vero & approbatione Capitis Eccleſiæ errare poteſt in fide* (159.). 4.) *Idem ſtatutis a ſe legibus mere Eccleſiaſticis non obligat niſi ſubditos Epiſcoporum ei adhærentium* (161.).

170.

Ut ſententiæ Romanorum Pontificum in cauſſis fidei obligent, certamque fidei regulam conſtituant, publice ad univerſam Eccleſiam ut tales fidei regulæ dirigi debent, ſimulque conſtare, quod ab aliquibus ſaltem Epiſcopis pro talibus publice receptæ, ac declaratæ fuerint. Primatis enim & fundamenti univer-

verſalis Eccleſiæ officium per ſe publicum & commune eſt, & fidei regulæ authenticæ ad omnes fideles ex æquo pertinent; nec proin cenſeri Romanus Pontifex poteſt tales edere velle, niſi ad univerſam ex æquo Eccleſiam. Tum vero fieri non poteſt vi promiſſi ipſius JESU Chriſti, ut aliquando fundamentum Eccleſiæ actu fundans, & officio ſuo fungens, ſolitarium ita ſtet, ut non eidem actu tota Eccleſia, ſecundum eſſentiam ſuam vi inſtitutionis divinæ ſpectata, inſiſtat. Cum ergo Eccleſia Chriſti vera vi eſſentialis ſuæ inſtitutionis ex ſubditis meris, ex Epiſcopis, & ex Capite ceu omnium fundamento, univerſe conſtet: quamdiu non conſtat de tali definitivo Capitis oraculo, in quo idem ſic actu fundet Eccleſiam, ut aliquos ſaltem Epiſcopos ſibi adhærentes habeat; tamdiu conſtare non poteſt, tale oraculum ad officium fundamenti pertinens actu editum ab illo eſſe. Itaque ut &c. &c.

171.

I. *Non omnia itaque reſcripta Romanorum Epiſcoporum etiam ad quæſtiones fidei, privatim illis a particulari Epiſcopo propoſitas, pro decretoriis oraculis, & regulis certis fidei continuo haberi poſſunt: multo vero minus ea aſſerta, quæ ſolum incidenter, & quaſi aliud agentes, ac citra princeps propoſitum, reſcriptis ſuis inſerunt: etſi vel opiniones privatæ ſupremi Eccleſiæ Principis maximam venerationem mereantur.*

II. *Per ſolam relationem in unum Corpus & collectionem Juris Canonici id genus reſcripta privata Pontificum Romanorum in rebus ad fidem attinentibus, etſi collectio illa auctoritate & imperio ſubſequentis alicujus Pontificis facta fuerit* (uti facta eſt

collectio Decretalium a S. Raymundo de Pennafort jubente Gregorio IX.) *non obtinent rationem ſolennis ac certæ fidei regulæ, niſi accedant ea adjuncta, quæ ſſ. præc. requiri ad talem regulam oſtenſa ſunt.*

* Ex his ſane (præter reſponſa alia ſuis ubique locis propriis danda) facilis eſt reſponſio ad errores fidei variis Epiſtolis & reſcriptis Romanorum Pontificum impingi ſolitos, puta, ad epiſtolas *Honorii I.* ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham, Nicolai I. de Baptiſmo in ſolo nomine JESU collato &c. &c. Ceterum in uſum Tyronum juvat Tabulam Synopticam Conciliorum Generalium a recentiſſimo egregio Theologo Bavaro admodum concinne adornatam hic apponere: in qua ea, quæ dubiæ ſunt auctoritatis, cruce † notantur.

Tabula Synoptica & Chronologica Conciliorum Generalium.

Celebratum eſt	A. C.	Sub Pontifice	Sub Imperatore	In cauſſa.
I.				
Nicænum I.	325.	S. Silveſtro.	Conſtantino M.	Arianorum &c.
† Sardicenſe. * *Fuit quaſi complementum Nicæni, convocatione generale, non item exitu.*	344.	S. Julio I.	- - -	Eorundem & S. Athanaſii.
II.				
Conſtantinopolitanum I.	381.	S. Damaſo	Theodoſio ſen.	Macedonianorum.
III.				
Epheſinum.	431.	S. Cæleſtino.	Theodoſio jun.	Neſtorii.

Cele-

Celebratum eſt	A. C.	Sub Pontifice	Sub Imperatore	In cauſſa.
IV.				
Chalcedonenſe.	451.	S. Leone I.	Marciano	Eutychis.
† Arauſicanum II. * *Quamvis provinciale fuerit: quia tamen a Pontifice confirmatum, & ab univerſa Eccleſia receptum eſt, concilii generalis vim & auctoritatem habet.*	529.	Felice IV.	Juſtino I.	Semipelagianorum.
V.				
Conſtantinopolitanum II.	553.	Vigilio.	Juſtiniano	Trium Capitulorum.
VI.				
Conſtantinopolitanum III.	680.	S. Agathone.	Conſtantino Pogonato.	Monothelitarum.
† Trullanum ſeu Quini-Sextum. * *Fuit quaſi appendix Concilii Conſtantinopolitani II. & III.*	688.	Sergio I.	Juſtino II.	Diſciplinæ Eccleſ.
VII.				
Nicænum II.	787.	Adriano I.	Irene & Conſtantino.	Iconoclaſtarum.
† Francofordienſe * *Approbatum fuit quoad ea, quæ de Filiatione DEI naturali definiit, non item quoad ea, quæ ſtatuit adverſus Nicænum II. ex male intellectis vocabulis* latriæ & duliæ.	794.	Eodem	Carolo M.	Elipandi Toletani & Felicis Urgellitani.

Celebratum eſt	A. C.	Sub Pontifice	Sub Imperatore	In cauſſa.
VIII. Conſtantinopolitanum IV. * *Hæc octo Concilia in Oriente fuere celebrata.*	869.	Adriano II.	Baſilio.	Iconoclaſt. & S. Ignatii contra Photium.
IX. Lateranenſe I.	1122. vel 1123.	Calixto II.	Henrico IV.	Sacræ Expeditionis & ſchiſmatis Sacerdotium inter & Imperium.
X. Lateranenſe II.	1139.	Innocentio II.	Conrado III.	Petri Leonis & Petrobruiſianorum.
XI. Lateranenſe III.	1179.	Alexandro III.	Friderico I.	Waldenſium.
XII. Lateranenſe IV.	1215.	Innocentio III.	Friderico II.	S. Expeditionis.
XIII. Lugdunenſe I.	1245.	Innocentio IV.	Eodem.	Ejusdem.
XIV. Lugdunenſe II.	1274.	Gregorio X.	Rudolpho I.	Unionis Græcorum
XV. Viennenſe.	1311.	Clemente V.	Henrico VII.	Templariorum & S. Expeditionis.
† Piſanum I. * *Fuiſſe legitimum, oſtendi in Dem. Catholica.*	1409.	Alexandro V.	Ruperto Palat.	Schiſmatis Occidentalis.

Cele-

Celebratum eſt	A. C.	Sub Pontifice	Sub Imperatore	In cauſſa.
† Conſtantienſe. * *Approbata fuere ejus Acta contra errores hæreticorum, non vero Seſſiones tumultuariæ IV. & V.*	1414.	Martino V.	Sigiſmundo.	Ejusdem & Wicleffi ac Huſſii.
† Baſileenſe. * *Convocatione legitimum, exitu inde a Seſſ. XXV. ſchiſmaticum fuit. Quid de primis XXIV. Seſſionibus ſentiendum, item oſtendi in Dem. Cath. Acta illius quoad beneficia pacis ſtudio rata habuit Nicolaus V.*	1431.	Eugenio IV.	Eodem.	Diſciplinæ Eccleſ. circa beneficia &c. &c.
XVI. Florentinum.	1438.	eodem.	Joanne Palæol. Græc. & Maximiliano I.	Unionis Græcorum.
XVII. Lateranenſe V. * *Galli duce Illuſtri Boſſueto hoc in dubium vocant.*	1512.	Julio II. & Leone X.	Eodem.	Pacis componendæ inter Principes chriſtianos.
XVIII. Tridentinum.	1545. uſque 1563.	Paulo III. Julio III. Pio IV.	Carolo V. Ferdinando I.	Lutheri, Calvini, & aliorum Sectariorum.

CAPUT V.

DE AUCTORITATE SANCTORUM PATRUM.

172.

Oracula, ſeu judicia ſolennia, Eccleſiæ, per Romanum Pontificem & Concilia edi ſolita tum de ſenſu SS. Scripturarum, tum de divinis traditionibus, ad fidem pertinentibus, vel etiam de rebus cum fide connexis (102.), non niſi tunc fere locum habent; cum controverſia actu exorta, ab errantibus non nullis quid eis adverſum actu publice defenditur, & aſſeritur. *De reliquis ergo veritatibus divinitus revelatis, ſeu ſcriptis, ſeu traditis per Apoſtolos & de ſenſu vero SS. Scripturarum, quæ uſque ad definitum quodvis tempus in controverſiam vocatæ non fuerunt, fidei depoſitum ſemper idem ac conſtans per alios quosdam teſtes mediatos ſatis authenticos, ſeu viva voce, ſeu ſcriptis mere quidem humanis, a ſeculo in ſeculum transmitti debet; donec mota aliqua circa illas controverſia Eccleſiæ oraculum ſolenne etiam circa eas locum nanciſcatur.*

173.

Teſtis authenticus mediatus (Logic. 289. 299.) doctrinæ a DEO revelatæ, ſeu SS. Scripturis, ſeu traditionibus divinis contentæ, idemque antiquitate eminente doctrina fidei, & eximia ſanctitate conſpicuus, *Sanctus Pater Eccleſiæ Chriſti*, ceu recte credentium Eccleſiæ filiorum genitor, appellari ſolet. Quodſi inter Patres ipſos doctrinæ lumine & ſcriptorum præſtantia emineat, etſi antiquitate poſterio

ſterior ſit, *Doctoris Eccleſiæ* nomine ſalutatur. Quibus ex id genus teſtibus cetera authenticis ſanctitas quædam magis eximia defuit, *Scriptores Eccleſiaſtici probatæ fidei* appellati ſunt. Ex his ſiqui poſt magnam recte doctrinæ famam deinceps in iis etiam rebus aliquando a recta fide aberrare cœperunt, quæ illorum ætate jam certæ fidei dogmata habebantur; inter *Scriptores Eccleſiaſticos inconſtantis fidei* cenſentur.

174.

Ut ſcriptor Eccleſiaſticus probatæ fidei quis ſit, & haberi poſſit, id præciſe, nec plus, minusve, requiritur, ut publica fidelium Chriſtianorum opinione & fama pro authentico & integro veritatis fidei teſte in ſuis ſcriptis vulgo habeatur, nec idem unquam ullo in capite fidei communi ſenſui Eccleſiæ Catholicæ ſua jam ætate vigenti contradicat. Non plus requiri, ex eo patet, quod, ſi requireretur quid amplius, nimirum hoc, ut Eccleſia ſolenni oraculo ejus doctrinam approbet, præter pauciſſimos Eccleſiæ Doctores, quos Romani Pontifices pro talibus ſolenniter declararunt, nullus probatæ fidei ſcriptor in Eccleſia haberi poſſet; non Baſilius, non Chryſoſtomus, non Athanaſius, aliique in primis Eccleſiæ luminibus cenſendi; quos licet officiô canonico Doctoribus proprio colat Eccleſia, tamen nullo ſolenni oraculo pro Eccleſiæ Doctoribus declaravit; qui honor ſolis Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo. & Gregorio Magno a Bonifacio VIII. C. *Glorioſus*, de Reliq. & Ven. Sanct., S. Thomæ Aquinati a Pio V., & a Sixto V. S. Bonaventuræ, obtigit. Sed nec minus quid ſufficit. Quodſi enim Eccleſia ejus authentiæ & integritati ipſo adhuc vivo aperte contradicat; iſtius plane publica bona opinio perſum it. Si ſaltem publica fama & opinio deſit; ca-

dem authentia perſpecta nobis eſſe haud poteſt. Itaque ut &c. &c.

* Inde eſt, quod Tertullianus, Origenes, Euſebius Cæſareenſis, Ruffinus Aquilejenſis, aliique plures, etſi multa præclare ſcripſerint de doctrinis fidei, inter probatæ ſaltem conſtantis fidei ſcriptores Eccleſiaſticos non cenſeantur; eo quod aliquando hæreticis opinionibus corrupti, contraria dogmatis ſua jam ætate in Eccleſia communi ſenſu receptis ſcripſerint.

** Ex adverſo, ut *probatus* quis *ſcriptor Eccleſiaſticus* audire poſſit, non requiritur, ut nihil omnino veræ fidei adverſum uspiam docuerit, quod ſaltem poſt mortem ipſius primum pro errore agnitum communiter ab Eccleſia, & forte etiam ſolenniter declaratum fuerit. Sufficit, id ipſum communem Eccleſiæ ſenſum adhuc latuiſſe, ut error talis in probatæ ceteroquin fidei ſcriptore citra authentiæ ipſius in reliquis præjudicium excuſetur. Secus enim vix aliquem ex SS. Patribus Eccleſiæ invenias, qui inter probatos ſcriptores abſolute connumerari poſſet: cum nullus, quod ſciam, fuerit ex eis, qui non aliquando innocenter impegerit; non Auguſtinus, non Hieronymus, non Ambroſius, non Gregorius Nazianzenus, non alii, qui inter integerrimos cetera cenſentur.

175.

I. Quoniam apud hæreticos quoque quidam famam eminentis doctrinæ & ſanctitatis habere poſſunt, & actu habuerunt: idcirco *prius conſtare debet, ubi ſit vera Eccleſia pro eo tempore, quo quisque ſcriptor Eccleſiaſticus viguit, & ex quibus notis illa certo dignoſcatur; quam conſtare poſſit, illum eſſe probatæ fidei Scriptorem, aut Doctorem, vel Patrem veræ Chriſti Eccleſiæ.*

176.

II. *Communis eorum Patrum conſenſus in aliquo dogmate fidei, qui de eo ſcripſere, vel in ſenſu Scripturæ certo aſſerendo, certiſſimum argumentum veritatis fidei eſt; cui ſine hæreſis nota contradicere non licet.* Is enim Patrum communis ſenſus, tacentibus univerſis Eccleſiæ rectoribus publice manifeſtatus, communem ſaltem tacitum ſenſum ipſius univerſæ Eccleſiæ reipſa conficit, ipſamque traditionem Eccleſiaſticam falſi dogmatis conſtitueret, ſi falſus eſſet (82.). Atqui fieri non poteſt, ut communis Eccleſiæ ſenſus, etiam non ſolenni judicio, ſed privatis ſolum ſcriptis, & rectorum ea ſcripta per famam publicam probata tacite ſaltem item probantium auctoritate confirmatus, in argumento fidei fallatur. Jam enim communis Eccleſiæ fides in aliqua re actu errando deficeret, non quidem ſolenni præeunte Eccleſiæ rectorum judicio, ſed tamen ipſo facto: id quod per Chriſti promiſſum fieri non poſſe inde manifeſtum eſt, quod Chriſtus ſimpliciter eam non defecturam unquam promiſerit dicens: *portæ inferi non prævalebunt &c. &c.* Atque inde eſt, quod *Patres Tridentini* Seſſ. IV. in Decreto de edit. SS. libr. ſevere prohibuerint, *ut nemo S. Scripturam contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat.* Inde item formula illa generalis Conciliorum: *hæc eſt Patrum fides.* Inde eſt, quod in omnibus Conciliis generalibus dogmata fidei ex dictis Patrum conſentientibus contra hæreticos defenſa, aſſerta, & authentice declarata fuerint. Hinc S. *Auguſtinus* L. II. contra Julianum ait: *qui ſanctos rejicit, fatetur, ſe univerſam Eccleſiam rejicere:* & Concilium Toletanum XV.: *quidquid creditur contra SS. Patres, intelligitur a recta fidei regula aberrare.*

* Notat hac in re Melchior Canus Cajetanum Cardinalem, ac ſi iſte initio commentariorum ſuorum in Geneſin hanc regulam rejiceret iſtis verbis: *non alligavit DEUS expoſitionem S. Scripturæ priſcorum Doctorum ſenſibus, ſed ipſi Scripturæ integræ ſub Catholicæ Eccleſiæ cenſura.* Sed vindicat Cajetanum contra fratrem ſuum alter Cardinalis Pallavicinus in hiſt. Conc. Trid. L. VI. c. 18. n. 2. dicens: Cajetanum non permiſſas voluiſſe repugnantes unanimi Patrum ſententiæ SS. literarum expoſitiones, ſed ſolùm fas eſſe depromere expoſitionem prorſus novam, & ab omnibus eorum interpretationibus diverſam; tunc videlicet, cum ipſi Patres inter ſe diſcrepant, ac proin cunctæ illorum expoſitiones dubitationi ſubjacent.

** Præterea notandum, regulam hanc, quoad *hæreſis* notam enuntiat, intelligendam eſſe de eo caſu, quo Patres illam ſuam communem de ſenſu Scripturæ ſententiam tanquam certam affirmant. Nam ſi opinantium tantum modo illam ſinguli enuntiarent, etſi concordarent in ea interpretatione, tamen jam exemplo ſuo docerent, etiam aliis opinari adeoque pariter dubitare ſe permiſſum velle. Unde *temeritatis* quidem notam mereretur, qui ſine nova graviſſima ratione eis contradiceret, ſed non hæreſis.

177.

III. *Unius, cujuscunque demum, aut duorum, vel ſimpliciter paucorum SS. Patrum auctoritas etiam in fidei quæſtionibus, aut connexis cum fide, non niſi probabile, nequaquam vero certum argumentum conficit.* Non enim niſi humana denique erat ſcientia omnis theologica ſingulorum quorumcunque Patrum, non ſimilis cum SS. Scriptoribus inſpiratio. De nulla ulli ſingillatim promiſſa S. Spiritus certa & conſtante aſſiſtentia quid conſtat. Ergo ſinguli, atque etiam

etiam plures eorum ſimul, in aliqua eadem re etiam ad fidem ſpectante, ex. gr. in loco quodam obſcuro Scripturæ interpretando, in aſſerenda traditione, in concluſione theologica ex præmiſſa revelata inferenda, non minus quam particularia Epiſcoporum Concilia, errare poſſunt, in tali videlicet, quæ tunc temporis, quo ipſi viverent, necdum ab Eccleſia vel ſolenniter definita, vel explicita communi fide credita fuiſſet.

* Aſſertio eo magis valet in caſu, quo paucis conſentientibus, imo etiam pluribus, alii, licet pauciores, ſed graves tamen, refragarentur: quo caſu, tacente Eccleſiæ capite & rectoribus, licet ſequi, quos viſum magis fuerit. Hanc ipſam ſibi regulam ſcripſit, imo hanc licentiam ſibi ſumſit, in aliorum a ſe Patrum ſcriptis ſequendis uti ſummus, ita modeſtiſſimus Patrum, Auguſtinus, eamque ipſam dedit aliis in ſequendis ſuis. Nam idem L. de Dono perſev. c. 21. ſic ſcribit: *Neminem velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, in quibus me non errare perſpexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi, ut nec me ipſum in omnibus me ſecutum fuiſſe demonſtrem; ſed proficienter me exiſtimo DEO miſerante ſcripſiſſe, non tamen a perfectione cœpiſſe: quandoquidem arrogantius loquor, quam verius, ſi vel nunc dicam, me ad perfectionem ſine ullo errore ſcribendi etiam in iſta ætate veniſſe.* Tum vero epiſt 19. ad Hieron. *alios quidem,* ait, *ſic lego, ut, quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ita ſenſerunt ipſi, ſed quia mihi vel per auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* Subdit porro, ſolis libris Canonicis didiciſſe ſe hunc honorem deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime crederet. Et vero unde ſingillatim Auguſtino demum ſingulare illud infallibilitatis privilegium

præ

præ cunctis Patribus accederet? An ex ſingulari approbatione Eccleſiæ? Hæc nunquam facta eſt; non quoad omnia illius ſcripta; quod apud omnes in confeſſo eſt: ſed neque quoad ea omnia, quæ contra Pelagianos ſcripſit. Nam eæ ſententiæ ex Auguſtino depromtæ, quas Eccleſia ratas habet, S. Cæleſtini I. Papæ capitulis comprehenduntur omnes. *Profundiores vero quæſtiones, quæ latius pertractantur*, nihil neceſſe judicavit Cæleſtinus *aſtruere*. Cæleſt. in Epiſt. ad Epiſc. Gall. Sed nec *generalis approbatio* ſcriptorum a Patribus non nullis infallibilitatem his tribuit. Neque enim illa ſingula doctrinæ capita afficit: alioquin definiiſſet ſimul Eccleſia propoſitiones contradictorias; quatenus Doctores pugnantia loquentes, puta, SS. Auguſtinum & Hieronymum, SS. Thomam & Bonaventuram, pariter generatim approbavit. Quanti autem valeat generalis iſta approbatio, explicat erudite Toſtatus Defenſ. p. 2. c. 89. revocans eam ad quatuor capita: 1. Eccleſia ita approbans, dat eo ipſo facultatem legendi libros, quos approbat. 2. Addit illis commendationem utilitatis. 3. Amovet ab auctore ſuſpicionem hæreſis voluntariæ. 4. Auctorem commendat eo gradu ut allegatus probabilitatem faciat ſententiæ alicujus, ſecluſa etiam ratione. Hoc tamen non obſtante manet ſemper permiſſa, ulterior inquiſitio, verumne an falſum ſit, quod in particulari quavis quæſtione a tali Doctore ſingillatim aſſeritur. Illud tamen modeſto ac pio cuivis Theologo cavendum, ut plena ſit reverentiæ id genus inquiſitio. Abſit ab eo, & longe abſit Pelagii ſuperbia, ad auctoritatem Auguſtini, ut ferunt, ſic contemtim reſpondentis: *ecquis eſt mihi Auguſtinus.* Abſit impudentia Juliani, qui tantum virum appellare ſolebat *Pœnum ſcriptorem*, aut *Numidam perfrictæ frontis*. Deteſtamur tam impudentes hæreticorum blaſphemias, & laudem hanc Auguſtini ſummam putamus, quod lingua fuit Eccleſiæ & Conciliorum, nihil ut contra Pelagianos niſi ex ejus ore & verbis decretum fuerit. Hæc a Joanne Giſberto in

vera

vera Idea Theologiæ in 2. a. q. 5. a. 1. ſapienter dicta exſcribere non piguit.

178.

IV. *In rebus nec ad fidem pertinentibus, nec cum fide connexis, SS. Patrum auctoritas haud major eſt quam aliorum doctorum hominum. & fere metienda eſt ex ratione quam de ſententia ſua afferunt:* neque enim ad res iſtas auctoritas teſtis fidei ſe extendit (173.).

* De Doctorum ſcholæ auctoritate §. 105. ſub finem, quod ſufficit, jam a me dictum eſt. Conſenſus illorum grave pondus & veritatis præjudicium facit: ubi diſcrepant; tantum quisque valet, quantum ratio, quam affert.

** In gratiam Tyronum juvat hic brevem Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogum adſcribere.

Scriptores Seculi I. S. Clemens Romanus a. Chriſti 65. *Hermas* dictus Paſtor. a. 65. *S. Ignatius M.* & *Papias* ſub finem primi ſeculi.

Sec. II. S. Polycarpus a. 108. *S. Juſtinus M.* circa a 140. *S. Irenæus* circa a. 167. *Melito* Sardenſis a. 170. *S. Clemens Alex.* a. 192. *Tertullianus* a. 192.

Sec. III. Cajus, ſive *Gajus* Romanæ Eccleſiæ presbyter a. 210. *Origenes* a. 230. *Dionyſius Alexandrinus* a. 247. *S. Cyprianus M.* a. 248 *S. Gregorius* Thaumaturgus a. 254. *Methodius* a. 290.

Sec. IV. Arnobius & *Lactantius* a. 303. *Euſebius Cæſareenſis* a. 315. *S. Athanaſius* a. 326. *S. Julius I. Papa* a. 337. *S. Cyrillus Ieroſol.* a. 350. *S. Hilarius Pictav.* a. 354. *S. Epiphanius* & *S. Optatus*

tatus Milevit. a. 368. *S. Ephrem* Syrus a 370. *S. Baſilius* Magnus & *S. Gregorius Naz.* a. 370. *S. Ambroſius* a. 374. *S. Hieronymus* a. 378. *S. Philaſtrius* a. 380. S. *Auguſtinus* a. 396. *S Joannes Chryſoſtomus* a. 398.

Sec. V. Prudentius a. 405. *S. Cyrillus* Alexandrinus a. 412. *Theodoretus* a. 423. *Caſſianus* a. 424. *Vincentius* Lerinenſis a. 434. *Socrates* a. 439. *Sozomenus* a. 440. *S. Leo M.* a. 440. *S. Proſper.* a. 444. *Victor* Vitenſis a. 484. *Gennadius Maſſilienſis* a. 495.

Sec. VI. S. Fulgentius a. 508. *Boëthius* a. 510. *Caſſiodorus* a. 514. *S. Joannes Climacus* a. 564. *S. Gregorius M.* a. 590. *S. Iſidorus* Hiſpalenſis a. 595.

Sec. VII. Joannes Moſchus a. 629. *Andreas* Cretenſis a. 635. *S. Ildephonſus* a. 657.

Sec. VIII. Ven. *Beda.* a. 701. *S. Joan. Damaſc.* a. 731. *Alcuinus* a. 780.

Sec. IX. Amalarius Fortunatus a. 810. *Haimo* a. 840. *Walafridus Strabo* a. 842. *Paſchaſius Radbertus* a. 844. *Hincmarus Rhemenſis* a. 845. *Rabanus Maurus* a. 847. *Anaſtaſius* Bibliothec. a. 870.

Sec. X. Simeon Metaphraſtes. a. 901. *Oecumenius*, *Burchardus* Epiſc. Wormat. circa a. 996.

Sec. XI S. Petrus Damianus a. 1057. *Anſelmus Lucenſis* a. 1073. *S. Ivo Carnot.* a. 1092. *S. Anſelmus Cantuar.* a. 1093.

Sec. XII. Rupertus Tuitienſis a. 1111. *S. Ber-*

Bernardus a. 1115. *Hugo de S. Victore* a. 1120. *Gratianus* a. 1131. *Petrus Lombardus* circa a. 1141.

Sec XIII. S. Raymundus de Pennaforte a. 1228. *Alexander de Hales* a. 1230. *S. Thomas Aquin. a.* 1254. *S. Bonaventura* a. 1255. *S. Albertus M.* a. 1260.

CAPUT VI.

DE USU RATIONIS, SEU METAPHYSICÆ, BONÆ LOGICÆ, ET CRITICES IN THEOLOGIA CHRISTIANA.

179.

R*eligio naturalis, dum Theologiæ Chriſtianæ ſupernaturali conſtanter miſcetur, locum hoc ipſo multum uſui rationis & bonæ Metaphyſicæ in Theologia etiam Chriſtiana relinquit.* Oſtendi enim in Dem. Evang. §. 89.; primum & præcipuum characterem eſſe veritatis religionis Chriſtianæ ſupernaturalis, quod religionem naturalem neceſſariam diſtincto modo ſua revelatione complectatur. Jam vero religio naturalis etiam ratione ſola abſolute cognoſci, & demonſtrari ex rationibus ſuis ſufficientibus naturalibus & neceſſariis poteſt (67. Dem. Evang.); etſi id vulgo hominum ſine prævia revelatione moraliter ſit impoſſibile (ibid. §. 48.). Quatenus ergo religio naturalis in Chriſtiana & divinitus revelata Theologia paſſim religionis Chriſtianæ dogmatis quoad ſubſtantiam ſupernaturalibus miſcetur; eatenus ſimul uſui rationis & bonæ Metaphyſicæ inter doctos ſaltem Theologos locus per ſe relinquitur.

180.

180.

Præterea ſcientia Theologiæ cujusdam naturalis de præcipuis perfectionibus divinis, nempe quod DEUS ſit ſumme perfectus, omniſcius, infinite potens, ſanctus, bonus, juſtus, verax in loquendo, & fidelis in promittendo &c. *ordine neceſſario ad omnem Theologiam revelatam, ſeu Chriſtianam* (3.), *præſupponitur.* Sine hac enim nec divinæ revelationis exiſtentia, nec ejusdem veritas falli neſcia, demonſtrari poteſt. Illa enim ex Prophetiis potiſſimum & miraculis, iſta ex DEI omniſcientia, veracitate, & fidelitate præcipue oſtenditur; uti ex decurſu totius Demonſtrationis Evangelicæ conſtat.

181.

Theiſtæ, ſummi ſæpe Philoſophi (ſaltem Principes illorum), hodie inprimis tum miracula, ex quibus ceu charactere præcipuo, DEI revelationem probamus, tum dogmata Chriſtiana, ſeu ad naturalem, ſeu ad ſupernaturalem religionem ſpectantia, ex rationibus intrinſecis, ab ipſis notionum conceptibus petitis, ceu evidenter repugnantia, explodunt, ejusque repugnantiæ evidentiam oſtentatam morali revelationis divinæ aſſertæ a nobis certitudini ex adverſo opponunt. His, niſi caritate neglecta illos cura noſtra indignos judicemus, aut niſi item infirmos animos periculo ſeductionis ab illis patiendæ exponere velimus, non niſi æque ſubtili Metaphyſica reſpondere, eosque falſo exiſtimatæ evidentiæ rationum ſuarum mere apparentium convincere poſſumus. Itaque *numerus Theiſtarum noſtra ætate ultra omnem modum invaleſcens, & Chriſtianæ religioni inprimis per malam Metaphyſicam infeſtus, plane cogit Theologos Chriſtianos, alienæ ſalutis ſtudio in-*

incenſos, ut pari ſaltem ſubtilitate & majore præciſione bonæ Metaphyſices, illorum inſultibus occurrant.

* *Sociniani* poſterioribus hisce duobus ſeculis antiquum Philoſophorum gentilium morem rationis oſtentata evidentia pugnandi contra poſſibilitatem Chriſtianorum dogmatum, & ipſius divinæ revelationis eorundem, revocarunt; quibus præpoſterus quidam metaphyſices cultus arma eo validiora in ſpeciem ſuppeditavit, quod diſciplina iſta apud Catholicos uſque ad hæc pæne tempora magno fuerit in neglectu.

182.

Quod Theiſtæ, idem ſæpe etiam Domini Proteſtantes faciunt, rejectaque ſemel auctoritate Eccleſiæ in declarandis fidei dogmatis, paſſim dogmatum Catholicorum evidentem repugnantiam, vel abſurditatem demonſtrare ex ipſa ratione & notionum conceptibus Metaphyſicis ſe jactitant; ex. gr. de SS. Euchariſtia, de Indulgentiis, de cultu & invocatione Sanctorum, de purgatorio &c. &c. indeque inferunt, ipſam S. Scripturam ſuis ſenſis conformiter, aliterque, quam Eccleſia catholica præſcribit, interpretandam eſſe. Igitur *ipſi ceteri Chriſtiani Acatholici nobis quoque neceſſitatem imponunt, demonſtrationum apparentium, quas Catholicis dogmatis opponunt, falſitatem eisdem ex melioribus notionibus ac principiis metaphyſicis ſaltem æque diſtincte oſtendendi. & S. Scripturæ interpretationes a Catholica Eccleſia aſſertas ita defendendi.*

* Et vero mirum non eſt, ſi Doctoribus Proteſtantibus poſt Leibnitios, Wolfios, Baumgartenios, aliosque Metaphyſicam puriorem impenſe excolentibus, Catholici

Theologi illius neglectum veterem hodiedum præſeferentes vileſcant.

183.

Applicare bonam Metaphyſicam ad Theologiam Chriſtianam aliud non eſt, quam, quoties in Theologia Chriſtiana de rebus ſeu objectis agitur, de quibus in meliore hodierna Metaphyſica multo diſtinctiores, magisque completæ & determinatæ notiones & definitiones, quam in veteri & obſoleta Metaphyſica, traduntur, etiam in Theologia meliores iſtas novæ Metaphyſicæ notiones veteribus confuſis & obſcuris ſubſtituere, & ex principiis evidentibus, quæ eadem melior Metaphyſica ex talibus notionibus emendatioribus deducit, de eisdem rebus in Theologia ratiocinari.

184.

Evidens eſt, novamelioremque Metaphyſicam in locum veteris, confuſæ, & obſoletæ (id eſt, cujus ſæpe vix termini ſatis intelliguntur a diſcipulo Philoſophiam jam multo meliorem edocto) *Theologiæ etiam Chriſtianæ, & Scholaſticæ, applicandam eſſe.* Evidens enim eſt, illi, qui ſcientiam rerum quarumcunque, vel ſaltem certam notitiam, docere, aut diſcere velit, ſi modo poſſit, potius ex diſtinctis, quam confuſis, potius ex fœcundis quam ex ſterilibus notionibus (ex quibus videlicet ob ipſam obſcuritatem nihil cum certa illatione concludi poteſt) ratiocinandum eſſe. Cum ergo certum ſit, in hodierna etiam Chriſtiana & catholica Theologia perpetuum rationis & Metaphyſicæ uſum fieri debere, ut fidei hoſtibus hodiernis, maxime philoſophis, occurri poſſit: evidens quoque eſt, meliorem,

liorem, quæ hodie certo ſuppetit, Metaphyſicam in locum veteris & obſoletæ applicandam eſſe.

* Quis dubitet, ſi de lege divina, de Societate Eccleſiaſtica, de peccato, de bono merito, de libertate actuum, de ſpiritualitate incorporea Angelorum, de Sacramento ſeu ſigno ad placitum, quin & ſi de diſtinctione Perſonarum in DEO &c. &c., in Theologia Chriſtiana agatur; notiones diſtinctas de lege, de Societate, de actu morali bono & malo, de libertate, de ſpiritu, de corpore, de ſigno ad placitum, de diſtinctione demum reali & mere formali, quas emendatior Metaphyſica ſuppeditat, una cum generalibus evidentibus principiis, quæ inde deducit, præ obſcuris & confuſis notionibus, quas obſoleta Metaphyſica vix intelligendas de eiſdem ſuppeditat, in ratiocinando de his objectis, & diſputando cum Theiſtis & Acatholicis, adhibendas eſſe. Quid enim niſi riſum, aut commiſerationem, Doctor Acatholicus, accuratâ Metaphyſica excultus, Theologo Catholico reponet; qui ejus, quæ etiam in Catholicis Philoſophiæ ſcholis jam viget, Metaphyſicæ expers, barbaram pæne & jam in omni alia literatorum claſſe inſuetam linguam loqui pergit? Et quis denique fructus obſcuri id genus idiomatis? lites nunquam finiendæ ob clarum notionum & certorum principiorum defectum; lites mere vocabulariæ ob defectum mutuæ intellectionis; cruciamenta diſcipulorum in obſcuris phraſibus intelligendis; plauſtra inanium objectionum, quæ unica ſæpe diſtincta & accurata definitione præoccupari poſſent.

** *At enim* hic, qui oppoſito aſſueti ſunt, neſcio quæ pericula religionis, a nimis curioſa rationis indagine in rebus Theologicis timenda, objiciunt. *Verum* amice! nonne nos ambo, inevitabili neceſſitate adacti, notionibus Metaphyſicis in omni pæne argumento Theologico utimur? tu veteribus, & jam in ſchola novæ Philoſophiæ antiqua-

tis; ego novis & multo emendatioribus. Plus ergo timendum veritati a ratione, melioribus jam illuſtrata ideis & principiis, exiſtimas, quam ab eadem adhuc obſcura, & nebulis undique obducta? Age vero! utrique, diſtincte & confuſe cogitanti rationi, debitam Divinæ auctoritati reverentiam, & modeſtum de ſe ipſa ſenſum, ſtudium ſimul aſſiduum, orationis aſſiduitati conjunctum (ut Theologum non niſi divina & altiſſima tractantem decet) adjunge: & experieris me hercle, multo validiorem, ſimul tamen æque ſecuram in dogmatis theologicis exponendis, & adverſus veritatis quoscunque hoſtes defendendis, futuram rationem diſtincte, quam confuſe, etiam de rebus divinis & revelatis Myſteriis philoſophantem. Adde vero utrique ſuperbum de ſe ipſa ſenſum, ſui confidentiam, vanitatem, & pertinaciam: videbis, multo proniorem, vel certe non minus præcipitem in errores obſcuræ, quam diſtinctæ cogitandi methodo aſſuetam, magisque illam, quam iſtam, in eisdem defendendis pertinacem. Naſcitur enim quidam prædominans amor veritatis in diſtincta ejusdem perveſtigatione, & capacitas ipſius intellectus ad eam agnoſcendam, ſi diſtincte ſemel proponatur.

185.

Non eſt fortior humana ratio, diſtinctis Metaphyſicæ notionibus illuſtrata, ad impugnandam, quam ad defendendam veritatem revelatam. Evidens enim eſt, veritatem veritati repugnare non poſſe. Sicut ergo ratio diſtincte cogitans fortior & longe magis idonea præ confuſa & obſcura cogitandi methodo eſt ad veritates Metaphyſicas dignoſcendas; ita longe minus ab eadem veritati cuicunque theologicæ periculum eſt. Etenim Theologiæ nunquam a perſpecta veritate Metaphyſica periculum naſci poteſt: ſecus veritas veritati repugnare poſſet: Sed ſolum vel ab errore Metaphyſico, vel a non perſpecto nexu

nexu veritatis Metaphyſicæ cum Theologica & divinitus revelata. Atqui diſtincta cogitandi ratio ſine dubio ſecurior ab errore metaphyſico eſt; cum omnis error ex confuſione notionum & majoris diſtinctionis defectu oriatur: & eadem nexum veritatis Metaphyſicæ cum theologica facilius diſcernit; aut certe ſecurius dignoſcit, repugnantiam ſaltem utriusque mutuam non probari. Ergo &c. &c.

186.

Nihil contra validius contra quoscunque theologicæ & revelatæ veritatis adverſarios quam diſtincte oſtenſa concordia rationis & fidei: id quod non niſi per diſtinctas Metaphyſicæ notiones fieri poteſt. Exempla iſtius rei poſitiva, ipſa praxi comprobata, dedi in Ethica Chriſtiana Univerſali de æternitate præmiorum & pœnarum, de neceſſitate purgatorii pro culpis nondum plene in vita a juſtis hominibus expiatis. *Negativa*, id eſt, queis oſtenditur, nullam ſaltem eſſe repugnantiam fidei recte explicatæ cum ratione, plura habes in Demonſtratione Evangelica Cap. IV. toto Articulo V.

187.

Ordo & nexus rerum & argumentorum paullo accuratior in Theologia Chriſtiana non niſi rationis Metaphyſicæ ſubſidio determinari poteſt. Sola enim auctoritas DEI revelantis, & Eccleſiæ proponentis dogmata revelata, ex æquo ſe habet reſpectu omnium, nec ordinem illorum ullum, neque aliam niſi extrinſecam nexus rationem, determinat. Niſi ergo ex rationibus intrinſecis veritatum revelatarum nexus atque ordo diſpiciatur, id eſt, ex metaphyſicis earum notionibus; alius ordo regularis in eis pertractandis in theologia non erit poſſibilis; niſi

 ut

ut ſimul jungantur, quæ ad communem medium terminum pertinent, ex. gr. ad DEUM, ad Angelos, ad Eccleſiam, ad Sacramenta &c. at inter hos ipſos tractatus diverſos, & inter ejusdem tractatus argumenta diverſa, ordo omnis mere arbitrarius erit. Ex adverſo ſi rationes ſufficientes neceſſariæ in argumentis ad religionem etiam naturalem pertinentibus (Eth. Univ. Chriſt. §§. 357. 358. 397.) licet etiam revelata ſint, & rationes ſufficientes etiam eorum, quæ poſitivæ divinæ inſtitutionis, mereque ſupernaturalia ſunt (quales ſemper DEO ſuppetunt per dicta in Ethic. Univ. Chriſt. §§. 393. 394. 399.) ſaltem tunc reddantur, cum poſſunt reddi (cum nempe ex ipſis rerum poſitiva lege inſtitutarum diſtinctis notionibus innoteſcunt): tunc enimvero ex rationum illarum ſufficientum ſubordinatione, & fluxu unius ex alia, etiam certus ordo omnium tractandarum veritatum revelatarum in Theologia Chriſtiana ſingillatim determinabitur.

* Exemplum poſſibilis iſtius ordinis hodie ſuppeditat Jus civile patrium & poſitivum, Juri civili ſeu ſociali naturali mixtum: in quo rerum ad jus ſociale naturale pertinentium ordo ex ipſis rationibus ſufficientibus legum ſocialium naturalium neceſſariis, ordo vero rerum lege poſitiva civili patria conſtitutarum tum ex rationibus iſtarum ſufficientibus propriis, tum ex earum rationum cum rationibus legum naturalium nexu & ſubordinatione, determinatur, ſicque lucem eximiam in ipſum Jus civile poſitivum & patrium diffundit. Enimvero quod in Jure mixto ex naturali & poſitivo humano tantos uſus habet; cur non in ſcientia religionis Chriſtianæ, mixtæ ex naturali & poſitiva, id eſt, in Theologia Chriſtiana Scholaſtica parem utilitatem habeat?

188.

Regulæ tamen certæ immobiles rationi philoſophicæ a Theologo Chriſtiano ponendæ ſunt, ne pari fato cum veræ religionis hoſtibus involvatur. Nimirum 1) *Ratio ſemper ductum revelationis, ceu normam, ſequi, non iſtam præcurrere debet;* ne per ſo hiſ ata aberret. Unde prælucente ſemel DEI revelatione inquirere quidem in veritatis revelatæ ſufficientes rationes intrinſecas licet; non tamen niſi animo eam confirmandi adverſus infideles. 2) *Etſi rationes ſufficientes poſitivæ non occurrant, queis diſtincte revelati dogmatis veritas per ſe intelligatur; contentus eſſe debet, quod certam ejusdem repugnantiam haud poſſe oſtendi perſpiciat.* 3) *Certum habere illud principium debet: ſcire, & poſſe DEUM multa captu humano ſuperiora; ac proinde etiam talia eundem nobis revelare poſſe.* 4) *Denique DEO ſeu per ſe ipſum loquenti, ſeu Eccleſiam in proponendis fidei regulis dirigenti, reverentiam irrefragabilem ſic deberi, ut ex eo nomine nulla fidei regula in dubium vocetur, quod ratione intelligi non poſſit.* Has quidem regulas jam in Dem. Evang. §. 86. ſeqq. ubertim explicavi.

189.

Regulæ melioris Logicæ etiam Theologo Chriſtiano tam in demonſtrandis veritatibus ſingulis Theologicis, quam in univerſa pertractatione, cum ordinata Methodo adhibendæ, & obſervandæ ſunt. Quis dubitet? Nunquid enim etiam ad Theologicam diſtinctam pertractationem requiruntur accuratæ & completæ *definitiones* nominales, fundamenti iſtarum explicatio, earum me realitatis oſtenſio; bonæ *diviſiones*; *demonſtrationes* veritatum com-

pletæ ſine ſaltu, & *per criteria* cuique veritati congruentia, intrinſeca, vel extrinſeca; rectus denique *ordo*, in quo unum ex alio fluat, notiora præmittantur, & ex illis ceu rationibus ſufficientibus alia ignota legitimo ratiocinio deducantur; cetera demum omnia, quibus leges Methodi ſcientificæ abſolvuntur (Logic. §. 401. ſeqq.)

* Enimvero quis non obſervarit, ex perſpecta probe Criteriorum univerſorum veritatis doctrina, in meliore hodierna Logica multo completius tradi ſolita, longe magis ſtringentia argumenta ex. gr. in demonſtranda neceſſitate revelationis divinæ (Dem. Evang. §§. 31. 36. ſeqq.) in demonſtranda divinitate SS. Scripturarum (hic §. 19. ſeqq.) in demonſtranda neceſſitate alterius fidei regulæ a SS. Scripturis diverſæ (37) pluribusque aliis graviſſimis veritatibus, formari poſſe, quam olim ſolebant.

** Sed nempe *opponunt* vulgatum illud: in Theologia tam præciſam methodum juxta atque veras demonſtrationes locum non habere. *Verum* optem ego mihi demum oſtendi ullam legem, ex iis, quæ in Logica de methodo ſcientifica recenſui (Logic. §. 401.) quæ obſervari a Theologo non poſſit. Quod vero ad alterum attinet, ajo:

190.

Demonſtratio æque in bona Theologia locum habet, atque in quavis alia ſcientia. Conſtat enim univerſa Theologia Chriſtiana & Scholaſtica (3. 8.) tum ex dogmatis religionis naturalis (5. 6. 7.) tum ex dogmatis, mere ſupernaturalibus & poſitiva DEI inſtitutione, vel revelatione, nobis a Chriſto traditis; tum denique ex concluſionibus inde deductis. Atqui *dogmata religionis naturalis*, etſi ſimul

mul revelata ſint, ceu neceſſaria & in natura DEI, & hominis, atque humanæ libertatis indole, rationem ſufficientem habentia (Ethic. Univ. Chriſt. 565.) prælucente jam inprimis ipſa divina earundem revelatione, demonſtrari poſſunt (hic §. 6.) ejusque rei exempla plura dedi in cit. Ethic. Univ. Chriſt. De *dogmatis mere ſupernaturalibus* ſaltem demonſtrari poteſt divinæ revelationis, ceu facti, ſumma moralis certitudo; cujus quidem facti univerſe ſumti ſummam certitudinem actu, niſi me ipſum fallo, demonſtravi in Demonſtrat. Evang. Denique *concluſionum ex dogmatis revelatis deductarum legitima illatio* utique ex regulis bonæ Logicæ etiam cum evidentia dijudicari poteſt.

* Rei iſtius evidentiæ duo vulgo apud multos obſtare ſolent, quo minus eam plane perſpiciant: *primum*, quod in *facta* demonſtrationem cadere non poſſe exiſtimant; Theologia autem Chriſtiana tota factis, id eſt, divinis revelationibus, nitatur (5. II.): *alterum* quod demonſtrationes dogmatum theologicorum vulgo jactitari ſolitæ paſſim aliis tales minime eſſe, multumque abeſſe ab evidentia, videantur. *Ad horum primum reſpondeo*: *factis* utique non poſſe congruere eas ipſas demonſtrationes à priori, quæ veritatibus abſtractis, mereque poſſibilibus, ex ipſa notionum vi & mutua applicatione reſpondent: attamen eisdem propria criteria prorſus ſufficientia ad eorum certitudinem demonſtrandam ſic reſpondere poſſe, ut *evidens* plane *certitudo* illorum evadat; ultra quam evidentiam qui in factorum probatione quid ultra quæſiverit, næ is inſanus cenſeri debet. Quid enim ſi teſtes immediatos oculatos, ſummeque veraces, adduçam; ſi ſigna & notas veracitatis illorum tales afferam, quibus uniformis experientia favet, quod nullo unquam caſu mendacio communes fuerint &c. &c. an facti certitudo evidens non erit? Univerſe ergo facta pro de-

monſtratis haberi debent, ſi teſtis auctoritas ſufficiens, id eſt, notitia rei, & veracitas, certa eſſe, & certa etiam eſſe ejusdem atteſtationis exiſtentia, oſtenditur: quod proin Theologi Chriſtiani officium erit in divinæ revelationis cujusque particularis certitudine, vel in certitudine Eccleſiaſticæ definitionis, demonſtranda (5. II.) *Ad alterum hoc repono:* fieri non poſſe, ut, qui Logicam completam, id eſt, demonſtrandi omnem artem & univerſorum criteriorum veritatis vim, ipſe probe perſpectam non habeat, etiam perfectæ demonſtrationis integritatem plane perſpiciat, & apprehendat. In his minus bene verſatus, Geometricis demonſtrationibus realis veritatis vim ineſſe, quod longe abeſt, facile exiſtimabit; atque idem explodet demonſtrationes Theologiæ naturalis vel maxime reales. Sola doctrina Logica *de definitione nominali* exemplum ſuppetere iſtius rei abunde poteſt; cujus in demonſtrando uſum qui ignorat, definitiones ipſas etſi maxime regulis ſuis conformatas impugnabit, &, ex eisdem ſecure quid inferri ſalva reali veritate, conſtanter negabit. Contra ridebit iſta, quisquis irrefragabilem illius doctrinæ vim probe perſpectam habuerit. Interim ex hoc ipſo ſatis patet, quantum bonæ Theologiæ interſit, non ſolum accurata Metaphyſica, ſed etiam completa Logica & demonſtrandi arte, rite imbutos animos ad Theologiæ ſtudium afferri.

191.

Critice eſt ars criteriis veritatis factorum rite utendi ad horum veritatem ſecure diſcernendam.

192.

Quoniam itaque Theologia Chriſtiana tota factis divinis, id eſt, divinis revelationibus dogmatum

tum Chriſtianorum, conſtat, quæ per alia facta, id eſt, per teſtimonia, tum Eccleſiæ per Concilia & Romanos Pontifices ſolenniter de illis teſtantis, tum SS. Patrum minus ſolenniter & ſingiliatim de earum traditione teſtantium certæ eſſe demonſtrari debent (ſ. II. III.) idcirco *Theologo Chriſtiano uſus inſignis Critices in dijudicandis veris Conciliorum, Romanorum Pontificum, & SS. Patrum teſtimoniis, ſcriptisve authenticis, magnopere neceſſarius eſt.*

* Id amplius etiam ex eo patet, quod ingens nullo pæne non ſeculo falſariorum numerus fuerit, qui non modo Patrum atque Pontificum, & Conciliorum ipſorum ſcriptis violentas manus injecere, partim addendo, partim detruncando; ſed & integros libros, vel epiſtolas, a ſe confictas, eisdem impudenter ſuppoſuere. Nec ipſis quidem Apoſtolis parcitum fuit. Hinc tot Evangelia, Itineraria, & Conſtitutiones & Liturgiæ diverſis Apoſtolorum nominibus inſcripta. Operæ pretium videtur, in tyronum maxime ſubſidium receptas quasdam apud artis hujus Criticæ Magiſtros regulas hic pro coronide adſcribere.

193.

Regulæ quædam generales Critices pro Theologo Christiano. I. *In quocunque opere rerum, perſonarumve, ſcriptoris, cujus nomen præ ſe fert liber, ætate recentiorum, occurrit mentio, certiſſimum eſt falſitatis indicium.* Sic in Quæſt. & Reſponſ. ad Orthod. ſub *Juſtini* M. nomine q. 115. Irenæus, q. 82. & 86. Origenes, q. 127. Manichæi, omnes Juſtino longe poſteriores nominantur. In Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis, in epiſtolis decretalibus Pontificum ex primis tribus ſeculis, paſſim *res*, id eſt, ritus, cerimoniæ, controver-

ſiæ, hæreſes memorantur, illo ævo necdum natæ. In quibusdam Cypriano adſcriptis opuſculis non pauca Scripturæ loca ex Hieronymi verſione citantur.

II. *Vocabula nova, vel novatæ ſignificationis, & quæ manifeſto ſunt ſequioris ætatis, libri, in quo reperiuntur, ſuppoſitionem liquido oſtendunt.* Hoc item indicio ſe produnt falſæ decretales, quovis in loco nomina Patriarchæ, Primatis, Archiepiſcopi, Apocriſiarii proferentes, primis Eccleſiæ ſeculis inaudita.

III. *Fabulæ inanes, nugæque ineptæ ab ævi Apoſtolici, vel ſcriptoris alicujus ingenio & gravitate abhorrentes, ſi non certam libri, quo continentur, Apocryphiam probant, certe juſtiſſimam dubitandi de eo rationem præbent.* Huc ſpectant *Periodi Pauli & Theclæ* fabulis anilibus plenæ; *Jacobi Proto-Evangelium*, commentis plus quam Judaicis de B. Virginis parentibus & Natalibus plenum; *libellus de Nativitate S. Mariæ* S. Hieronymo ſuppoſitus &c. &c.

IV. *Stylus, totiusque orationis contextus, longe diverſus ab eo dicendi charactere, quo in genuinis ſuis uſus eſt auctor, manifeſtum præbet ſuppoſitionis argumentum.*

V. *Merito ſuppoſitionis damnatur liber, in quo reperiuntur dogmata, iis contraria, quæ in genuinis & indubitatis operibus ſuis auctor tradidit.* Veriſimile enim non eſt, virum doctum, gravem, & eruditum ſibimet contradicere; quin mutatæ ſententiæ indicium faciat. Exceptioni tamen hæc ſubinde regula locum relinquit in πολυγράφοις ſcriptoribus. Interim ipſa ratio argumenti, in qua contradictio ver-

verſatur, ſæpe indicium præbere poteſt, an talis contradictio talem in ſcriptorem cadere poſſit.

VI. *Si in aliquo opere græci auctoris occurrat latinorum vocabulorum explicatio, juſtiſſimam falſitatis, vel fraudis ſuſpicionem ingerit*, ceu a conſuetudine græcorum Patrum prorſus alienum.

VII. *Quæcunque opuſcula pro ſpuriis damnarunt critici veteres, ægre admodum nec niſi ex clariſſimis & validiſſimis argumentis admitti debent.* Magni hic certe apud omnes doctos æſtimatur criſis Euſebii, Epiphanii, Hieronymi, Gennadii, Photii ex veteribus. Hos poſterioribus ſeculis egregie imitati ſunt Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Bellarminus, Sirmondus, Petavius, Labbeus, Miræus, Valeſius, Fronto Ducæus, de Marca, Baluzius, Mabillonius, aliique.

VIII. Circa editiones quoque SS. Patrum diſcrimen critice faciendum eſt. 1) *Quo ſunt antiquiores, eo ut plurimum ſunt fideliores:* tum quia, quæ in primis typographiæ incunabulis prodiere, ex optimis quibusque Manuſcriptis expreſſæ ſunt; tum quia nondum natis de Eccleſia reformanda controverſiis, nulla cauſſa ſuberat corruptionis ejusmodi, qualis poſtea ſæpe tentata eſt: tum etiam quod initio typographiæ correctores typi non de trivio, ſed optimi quique & erudititiſſimi delecti fuerint. Unde editiones pretioſiſſimæ ſunt ab A. 1450. uſque ad A. 1517. emiſſæ in publicum: in quarum collectione inſignem operam præſtitit Philippus

præſtantiſſimorum virorum prodiere. 3) *SS. Patrum latinorum editiones Frobenianæ jure merito magni æſtimantur;* niſi quod Eraſmi, correctoris officio ſæpe fungentis, nomen & vacillans fides cautum lectorem facere debeat. 4) *Præſtant denique hodie facile omnibus-editiones Doctiſſimorum Patrum Gallorum Congregationis S. Mauri Ord. S. Benedicti.*

IX. *In ipſa lectione SS. Patrum*, & allegatione certorum textuum eorundem, ad pondus auctoritatis, quæ illis ſingillatim recte tribuatur, dimetiendum, *opus eſt ſequentes obſervare regulas*, a Mabillonio in Tract. de Stud. Monaſt. ſapientiſſime conſcriptas. 1) *Præter ætatem & tempus ſcribendi attendatur ad cauſſam occaſionemque ſcribendi:* an data opera argumentum examinarit: an ſolum incidenter & perfunctorie id, velut aliud agens, attigerit. 2) *An ut fidei dogma quid contra hæreticos, an ut ſententiam ſolum privatam, tenuerint.* 3) *An non ultra, quam neceſſe erat, ad aliquod dogma defendendum, in oppoſitam partem declinando, fervore abrepti exaggerate aliquid dixerint:* id quod in uberiore præſertim diſputatione facile evenire ſolet. 4) *Videndum eſt, in quo argumento quisque præ alio, accedente ipſius Eccleſiæ approbatione, excelluerit.* Sic de Chriſti Divinitate Athanaſius, de duplici natura in perſonæ unitate Cyrillus Alexandrinus, de neceſſitate gratiæ Auguſtinus, ceteris præferendi ſunt. 5) *Uſus vocum ſubinde diverſis temporibus diverſus*, vel alius inter latinos, alius inter græcos, *probe adnotandus;* uti conſtat de voce *hypoſtaſis*, ὁμόουσιος, &c.

* *De Methodo ſcribendi Theologiam* nulla, niſi vehementer fallor, diſputatio jam eſſe poteſt. *Scientificam* eſſe poſſe, ac proin debere, ex dictis §. patet. Quodſi talis

talis ſit, regulas ſervare debet in Logica §. 401. præſcriptas, ea ſolum variatione, ut, *cum dogmata theoretica demonſtrantur*, criteria his propria & demonſtrationi a priori propria, id eſt, completæ deſinitiones, diviſiones, corollaria, ratiocinia rite concatenata, & ad criteria veritatis propoſitionis affirmativæ & negativæ, rectæque illationis ſine ſaltu factæ expenſa, conſtanter adhibeantur: cum vero *facta horumque certitudo* (id eſt, divinæ revelationis, aut Eccleſiaſticæ definitionis certitudo) demonſtranda ſunt, teſtimonia authentiæ indubitatæ, prorſusque apud omnes compertæ, vel pro ipſis demonſtrationibus habeantur, prout pro talibus reipſa ob naturam iſtius objecti demonſtrandi haberi debent; vel inſtar axiomatum, & principiorum communiter pro certo veris habitorum aſſumantur, & ex eorum natura rite deſinita ulterius quid pro aſſerendo facto revelationis certa illatione concludatur. Enimvero poſſibilitatis iſtius Methodi in tractandis theologicis quæſtionibus, atque etiam dogmatis revelatis, exempla plura jam dedi in Ethica Univerſali Chriſtiana, puta, de æternitate præmiorum & pœnarum alterius vitæ, de viſione beatifica Sanctis actu competente, de purgatorio &c. in hoc ipſo opere de divinitate Scripturarum, de neceſſitate regulæ a Scriptura diverſæ, de fundamento Senſus Myſtici Scripturarum &c. &c. Hæc methodus æque ordinem materiarum, atque ordinem tractationis uniuscujusque ſingularis argumenti generali illa ſua lege determinat: *ut nempe præmittantur ſemper ea, quæ ſequentibus ex ratione ſufficiente intelligendis neceſſaria ſunt.*

** Unicum hac in re dubium ſupereſſe poteſt: *utrum*

ergis: *Alterum* puro tamen ſemper, proprio, & claro ſermone utendum eſſe; niſi quod technica ſæpe locutio neceſſitate excuſetur. *Primum* experimento proprio quisque non ſolum diſcipulus, ſed etiam doctor, facile diſcet; ſi quæſtiones theologicas (aut philoſophicas) legat ab aliquo Æſthetices amatore utcunque exquiſitis humaniorum literarum elegantiis exornatas. Utcunque enim iſtæ belle afficiant animum, etiam guſtu illarum optimo imbutum; moleſtum tamen erit, latentem ſub innumeris bellis corticibus & involucris fructum, primo omnium deſideratum, id eſt, veritatis theologicæ oſtenſionem, non niſi multa relectione & indagine demum evolvi poſſe. Expertus id ipſe ſum, cum demonſtrationem Evangelicam, a me ipſo ſcriptam, publice in Schola explicarem. *Alterum*, quod dixi, per ſe patet. Siquis porro Æſthetices amator in Scholiis parerga humanioris literaturæ, aut etiam philologicæ eruditionis, adhibere voluerit; non improbabo: modo non inutili quæſito ornatu cum libri mole pretium exaugeat.

VA 1
1530225

&c.

claro
cutio
quis-
liſcet;
abali-
iorum
e belle
utum;
is cor-
eſiden-
non ni
e. Et
gelica
. A
ſthes
æ. a
it; a
m Et

Digitized by Google

Digitized by Google

